This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LP
26
953

~~Dp~~ 26.953
LP

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 18 Oct. 1901.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1588 z

QUOMODO PLAUTUS ATTICA EXEMPLARIA TRANSTULERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ATQUE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE I. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXXXIV

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

MAXIMILIANUS SCHUSTER

BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

U. HOEFER, DR. PHIL.
G. KLINKE, SEM. REG. PHIL. SOD.
O. KOENNECKE, STUD. PHIL. ET THEOL.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE.

Digitized by Google

LP
Sp 26.953

HARVARD COLLEGE
OCT 18 1901
LIBRARY.

Constantine fund

Digitized by Google

ADOLFO KIESSLING

SACRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Inter omnes constat palliatarum poetas Graeca argumenta cum ex Graecis fabulis et inveniendi inopia et severa aedilium censura coacti Latine exprimerent non ad verbum transtulisse, sed accommodasse quodam modo incultioribus populi animis et moribus, ita ut aut Romanas res pro Graecis ponerent aut ex suo ingenio qui crassis popularium auribus blandirentur iocos et facetias fabularum contextui insererent. Sed quatenus progressa sit in palliatis, inprimis Plautinis utpote amplissimo et paucis exceptis vetustissimo Romanae vitae monumento, Atticae comoediae aut demendo aut addendo immutatio Graecorumque morum cum Romanis commixtio, quaestio est ut ad litterarum historiam et ad rerum antiquarum cognitionem necessaria, sic usque ad hunc diem, etsi instituta a multis, non persoluta. Quod apparet facile collatis eorum qui de ea re sive ex legendi usu sive ex accuratiore studio iudicium fecerunt sententiis. Nam parum Plautum debere Graecorum imitationi Rostius statuit in dissertatiuncula „de Plauti auctoritate ad faciendam rerum antiquarum fidem", Opusc. Plaut. p. 9, magna eum licentia Attica exemplaria transtulisse Ritschelius Parerg. Plaut. p. 277, sed diligentius in rem inquirere uterque supersedit. Quod professus W. A. Beckerus in libelli „de comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis quaestiones", Lips. 1837, altera parte „Vindiciae Plautinae" inscripta nimis Plauti a servilis Graecorum imita-

Digitized by Google

tionis opprobrio defendendi cupidus ad hanc summam processit eum argumenta tantum fabularumque fere οἰκονομίαν a Graecis mutuatum, in sermonibus proprio usum esse ingenio (p. 76). Eodem pervenit alter nec minor Plauti admirator G. A. Schroederus „de Romanis moribus palliatae fabulae immixtis“ dissert. III., progr. gymn. Marienwerder. 1853 (in duabus prioribus, ib. 1833 et 1835, Terenti artem exposuerat), cuius iudicio poeta Sarsinas „non passus est in comoediis quidquam praeter personarum descriptiones sibi a Graecis obtrudi“. Contra in sermonibus quoque Plautus artius premere Graecorum vestigia Ladewigio visus est in egregia de Canone Volcaci Sedigiti quaestione, progr. Neostrelitz. 1842, ubi congessit etiam locos aliquot qui cum Atticae comoediae et mediae et novae reliquiis sibi viderentur aliquo modo concinere. Quam collectionem amplificare studuit Fr. Schultzius „Plautus in seinem Verhältniss zur mittleren und neueren griech. Komödie“, Festprogramm des kön. kath. Gymn. zu Neustadt i. Westpreussen, 1866. Ad alteram quaestionis partem, qua investigentur Plauti eiusque exemplarium discrepantiae, stipem contulit Visseringius in dissertatione et philologica et iuridica „Quaestiones Plautinae“, Amstelaed. 1842, qui scrutaturus ubi suae Plautus aetatis condicionem expresserit (p. 4) in priore disputatione locos quibus rei publicae status, certae res atque homines, proverbia historica certaque vel in urbe vel alibi loca commemorantur, in posteriore quae morum commutationes, leges nuper rogatae, iura tum constituta a Plauto perstringuntur, laudabili cum industria examinat atque illustrat. Omnem autem Romanarum rerum apud Plautum molem de Bagnato „Plautus in seinem Verhältnisse zu seinen griech. Originalen“, progr. gymn. Ehingen. 1878 duodeviginti paginarum spatio complecti voluit. Sed haec exemplorum congeries, quae ut totum numerum expleat tantum abest, ut ipsa gravissima saepe omittat, non alia fere continet

Digitized by Google

nisi quae inter eruditos iam dudum constant, ut ad eorum qui primum ad Plautum accedant institutionem fortasse non inutilis, ad amplificandam scientiam paene nihil conferre censenda sit. Melius de ea re meriti sunt Brixius et Lorenzius in interpretatione earum quas ediderunt fabularum quae ad Graecas, quae ad Romanas res pertinere sibi viderentur adnotantes. Denique Mommsenus in Historiae Romanae libr. III. cap. XIV. cum omnes palliatae poetas tum Plautum censuit Atticas comoedias et in argumentis et in sermonibus ita convertisse Latine, ut plebei homines et agrestes eas non modo intellegere, sed etiam voluptatem inde capere possent, itaque Graeca instituta moresque ea duntaxat recepisse in palliatas, quae suo populo aut iam et ipsi in usu esse coepissent aut auditione et fama essent accepta. Atque hoc quidem Mommsenum quamvis non expresse pronuntiet cogitasse inde patet, quod fabulas a Graecis carminibus tragoediisque celebratas magnam partem Romanis iam tum cognitas fuisse colligit ex Plautina earum commemoratione p. 948[1]. Huic sententiae ei communi cum Ritschelio (qui e. g. octo fabulas, in quibus mentio fit auri Philippei, ultimo artis Plautinae decennio attribuit, quia id genus pecuniae ante belli Macedonici tempora Romae non increbuerit, cf. Parerg. p. 353 *) atque nunc fere vulgatae primus obstitit Kiesslingius, cum insignibus quibusdam exemplis probaret (cf. Analecta Plautina I et II, Ind. schol. Gryphisw. 1878. p. 14 et 1881. p. 9) Plautum vel argutissimas atque doctissimas Attici salis elegantias in fabulas suas transtulisse, num spectatores eas intellecturi essent prorsus incuriosum atque omnino multo pressius Atticorum vestigia secutum esse quam hodie vulgo arbitrarentur. Itaque praeceptoris venerandi exemplo atque hortatu adductus hunc totum de Plauto Graecorum interprete locum de integro trac-

*) Alia eiusdem rationis exempla v. ibid. p. 193. 203. 208. 408.

Digitized by Google

tare mihi proposui, qui quantum egeret nova atque accurata inquisitione antecedentibus satis videor mihi commonstrasse. Apparet autem, quoniam mediae novaeque comoediae cum omnis tum eius quae Plauto exemplo fuit admodum pauca exiliaque aetatem tulere fragmenta, in constituenda illius vertendi ratione ita nobis procedendum esse, ut quid in fabulis Latinis ad Graecam, quid ad Romanam consuetudinem referendum sit, compositis atque aestimatis omnibus de eadem re testimoniis diligenter discernamus. Atque Graeca quidem Plautum Graecis poetis debere per se liquet: contra Romana a barbaro poeta inventa esse non ita constat; nam nisi forte eorum loco simile aliquid in exemplaribus cogitari omnino nequit aut aliae exstant causae, quibus Plauti ingenio ea adscribamus, possunt etiam pro Graecis rebus ab Atticis comicis memoratis esse ab illo instituta. Ubi vero hoc factum sit, fere tum solum certo cognoscere poterimus, si qua ad argumenta describenda — nam haec Plautum a Graecis assumpsisse nemo est qui neget — Romanas res inveniemus adhibitas, atque inde de ceteris locis erit concludendum. Cum autem omnes antiquitates Plautinas componere Graecasque a Romanis seiungere dissertationis spatium multo foret excessurum, consentaneum esse credidi unum antiquitatum genus, religionis, accuratius pervestigare atque ex hoc — quod pro copia materiae licere non dubito — quid summatim de re proposita statuendum esset colligere. Atque progrediar ita, ut in capite primo quas Graecos poetas, in altero quas suum Plautus ingenium secutus exhibere mihi videatur res sacras exponam, denique in tertio de eis locis agam qui ab origine non possunt certis argumentis definiri. In primi autem capitis altera parte tractabo ea, quae quod sunt ad argumenta fabularum necessaria, in altera quae aliis de causis ad Attica exemplaria sunt revocanda. — Ceterum in describendis versibus usus sum editionibus Ritscheli in Bacch. Men. Mil. Most.

Digitized by Google

Pers. Pseud. Stich. Trin.[2], discipulorum eius Goetzi, Loewi, Schoelli in Epid. Curc. Asin. Aul. Truc. Amph. Merc.[2], Fleckeiseni in Capt. et Rud., Weisi[2] in Cas. Cist. Poen. frgm. (sc. non neglectis Brixi, Lorenzi, Ussingi editionibus).

Cap. I.

§ 1 a.

Enarraturus igitur quae cum argumentis fabularum artissimo vinculo coniunctae mihi videantur res sacrae Plautinae initium sumam a fabulis deorum cultu maxime omnium imbutis atque repletis Rudente et Poenulo. Atque illa quidem agitur Cyrenis (cf. 36 sq. 61. 615. 713 sq. 1138) ante Veneris fanum, quod in scena conspicitur magnoque est ad actionem fabulae momento (nominatur 94 sq. 128 sqq. 253 sqq. 270 sqq. 283 sqq. 305. 308. 331. 386. 454. 560. 564. 570. 586. 613. 622. 644. 689. 697. 706. 723. 822. 840. 849. 865. 1065. 1133 sqq.). Ibi enim Labrax leno rem divinam se facturum pollicitus Plesidippum adulescentem ad cenam sacrificalem vocavit (94 sq. 128 sqq. 142 sq. 342 sqq. 864 sq.); ibidem sacra facturos Daemones, qui in villa proxima templo habitat, conqueritur (133 sqq.) quod „*semper petunt Aquam hinc aut ignem aut vascula aut cultrum aut veru Aut aulam extarem**) *aut aliquid*“. Ex eodem fano prodit Ampelisca ancilla cum „*sacra urna Veneris*“, ut aquam hauriat iussu sacerdotis (cf. 331 sqq. 404. 412. 433. 473 sqq.); nam eo cum domina sua meretrice e naufragio servata confugit Venerisque antistitae (258 sqq. 283 sqq. 329. 350. 404. 433. 447. 624.

*) Quod vas fortasse aliquis revocaverit ad haruspicinam Romanorum, quos constat exta priusquam porricerent in aula cocta observare, cf. Marquardt-Mommsen VI. p. 177; sed aula extaris per se nil aliud significat nisi aulam in quam exta ad quemvis usum, e. g. ad cenam sacrificalem parandam, condantur.

Digitized by Google

644 sqq. 655. 671), quae benigne eas accepit, dat operam. Deinde duae illae mulieres ubi lenonem, cui serviunt coactae, et ipsum salvum vident appropinquare, ad Veneris signum confugiunt salutem petentes (560. 648. 673. 689); postea ab eo vi abreptae aram deae in scena collocatam (690 sqq. 1333 sqq.) amplexam tenent ipsam ut in custodelam suam sese recipiat implorantes, fretae asyli iure Graecis sancto, de quo egi in excursu I. Eandem Veneris aram tangentem Grīpus conservum suum iusiurandum facere iubet*) (1333 sqq.) sollemniter verba praeiens (Similiter fit Eurip. Iphig. Taur. 743 sqq. et Aristoph. Lys. 209 sqq.) Creberrime etiam in Rudente, quia Cyrene est locus fabulae mareque in argumento haud parvi momenti, Neptunus commemoratur. In ipso initio comoediae Daemones, cuius villa aeque ac Veneris fanum prope mare sita est, conqueritur quod Neptunus nocte proxima sibi miserit tempestatem, quae de tecto domus suae omnes tegulas deturbaverit. Eadem tempestate cum navis, qua leno cum familia sua vehebatur, interiisse dicatur, Neptunus ut auctor naufragii et a lenone eiusque comitibus (cf. 485 sqq. 527. 588. 699) increpatur**) et ab inimicis eius, qui gaudent illum per-

---

*) Hunc morem, in iurando aram tangendi, quem inde a Cicerone (cf. pro Flacco 36, 90) saepius apud Romanos auctores invenimus, (ut Verg. Aen. XII, 210. Iuvenal. XIII, 89. XIV, 218), satis sero e Graecia Romam propagatum esse patet ex Cic. pro Balb. 5 „quum quidem apud eos testimonium dixisset et, ut mos Graecorum est, iurandi causa ad aras accederet". Quoniam enim etiam Ciceroni necessarium videtur hunc ritum memorantem Graecum esse adicere, in propatulo est eum Plauti temporibus Romanis nondum fuisse in usu. Vetustissima igitur illa lex, quae sub Numae nomine ferebatur: „Paelex Iunonis aram ne tangito" (cf. Fest. 222, 3. Gell. IV, 3), referenda est non ad iusiurandum, sed ad precationes et supplicationes, in quibus mos erat Romanis aras amplecti, cf. Verg. Aen. 4, 219 cum Serv. et Varr. ap. Macrob. 3, 2, 8.

**) E contrario fieri solet in palliatis, ut qui prospera navigatione usi sint gratias agant aut Neptuno (cf. Most. 416 sq. Trin. 820 sqq. Stich. 402 sq.) aut dis patriis (cf. Mil. 411 sqq. Bacch. 347), et propinqui pro salute eorum sacra faciant (cf. Stich. 396. Epid. 414 sqq.).

Digitized by Google

ditum, collaudatur. Iam Neptuno Gripus agit gratias, quod roti suo vidulum ut opinatur auro completum mari extraxerit (906 sqq.), cum piscatores, qui initio actus II. in scenam prodeunt, Venerem, cuius fanum prope adest, venerentur, ut prosperum sibi commodet piscatum.

Ut in Rudentis, sic in Poenuli quoque argumento Venus insignem, quamvis mutam, sustinet personam. Agitur enim haec fabula Calydone (cf. V, 4, 13) in urbe Aetoliae (cf. III, 3 sq. V, 2, 97), Aphrodisiis (cf. I, 1, 62 sq. I, 2, 45. II, 49. III, 5, 13. IV, 2, 26. V, 3, 14) i. e. Ἀφροδίτης Πανδήμου die festo, qui quomodo celebratus sit novae comoediae temporibus ex Plauti descriptione optime cognoscimus. Iam ante lucem nonnullae meretrices ad aedem Veneris exeunt ut primae ignem in aram eius inferant (I, 2, 108 sqq.). Postquam omnes lautissime ornatae (I, 2, 8 sqq.) eo convenerunt, deae hostiis (IV, 2, 27. V, 4, 49) aut ture sacrificant (V, 4, 9) atque iuventuti, quae quasi in mercatum eo confluxit, se ostendunt venditantque (I, 2, 129 sq.). Simul lenones, qui ibi scorta sua venalia habent (I, 2, 55), Veneri ture aut hostiis rem divinam faciunt (II, 2 sqq.). Qua in re apparet Lyci lenonis avaritia et versutia, qui cum sex agnis immolatis nequeat litare (καλλιερεῖν), quoniam haruspex (μάντις) exta non bona esse dixerit, pausam faciat immolandi atque adeo eas hostiarum partes, quae dis sacrae esse solent, eis non reddat*), sed impendat ad prandium, quod se militi cuidam glorioso daturum esse promisit (cf. II, 23. 44. 53 sq. III, 3, 3).

---

*) „*Vetui exta prosicarier*“ lenonem Plautus dicentem facit secundum Romanum sacrificandi ritum, i. e. vetui exta priusquam aris imponerentur rite ab haruspice dissecari, cf. Marquardt-Mommsen VI, p. 177. Quae sequuntur in v. 9 „*Neque ea adspicere* (sc. haruspicem) *volui. Quoniam non bona*“ etc. et metro cassa sunt, propter hiatum illicitum post *ea*, et sensu, quod exta antequam prosecentur observata esse debent, et hoc fecisse haruspicem antecedentibus verbis dilucide notatum est (v. 7 „*litare nequeo*“). Pro ‚*ea*‘ haud dubie legendum ‚*alia*‘.

Digitized by Google

Ut hae duae fabulae cum Veneris, ita Curculio, quae Epidauri agitur (cf. 341. 429. 562), cum Aesculapi cultu in hac urbe celeberrimo coniuncta est atque connexa. Nam in fano eius dei, quod in scena iuxta aedes Cappadocis lenonis conspicitur (cf. 14 sq. 62. 204. 216 sq.), leno aegrotus (220. 231. 236. 240) per noctem incubavit, ut de somniorum monitis aegritudinis remedia capesseret (cf. 61 sq. 216 sqq. 246 sqq. 260 sqq. 270 sqq. 699). E fano egressus servo Palinuro, qui somnia se melius interpretari posse quam ipsos coniectores (cf. excursum II.) profitetur, quid in templo dormiens somniaverit narraturus est, illo autem avocato somnium suum refert ad coquum eius conservum, qui praesagit ei magnum malum (cf. 245—73). — Ineunte actu III. Lyconem trapezitam post v. 383 — nam priores vv. 371—83 inter se discrepantes plenosque offensionum retractatoris esse atque in pristina conformatione Lyconem pronuntiasse Aesculapi precibus adeundi consilium cum Kiesslingio hac de re in scholis disserente maxime consentio — in scena ante fanum Aesculapi versantem dei pacem tacitum expetere docemur Curculionis eum conspicientis interrogatione (389 sq.) „*Quis hic est operto capite qui Aesculapium Salutat?*“ Quem versum ex Attico fabulae exemplo ad verbum translatum esse contra communem opinionem mihi persuasi hac ratiocinatione: Quoniam trapezita mutus in scena adstat, cum cernitur a Curculione, necesse fuit eum ex habitu suo cognosci precantem. Hoc apud Plautum fit velatione capitis, quo ritu Romani omnibus dis exceptis Saturno Hercule Honore rem divinam faciebant, cf. Becker-Marqu. IV, p. 466. Quodsi aliter Graecus poeta Lyconis condicionem legentibus seu audientibus denotare voluisset, una haec ei patebat via, ut Lyconem manus ad caelum tollentem faceret: hic enim apud Graecos vulgaris omnium erat gestus orandi. Sed tum nullam invenio causam probabilem, cur Plautus ab exemplo suo recessurus fuerit,

Digitized by Google

quoniam is gestus Romanis aeque erat usitatus. Ergo veri simillimum esse mihi videtur putare in Attica quoque fabula Lyconem operto capite deum salutasse. Hoc quamquam a communi Graecorum usu discrepat — nam in universum dis capite non velato sacrificabant cf. Hermann. ant. sacr. § 21 — arguitur tamen eo quod (ut admonuit me Wilamowitzius) in Aristophanis Pluto (707 sqq.) legimus Carionem servum, qui in Aesculapeo pernoctat, deo appropinquante caput pallio obvolvere idemque facere 689 sqq. anum quandam in eodem fano incubantem cum opinatur anguem sacrum dei prope sibilantem se audivisse. Suspicor praeceptum fuisse eis qui in Aesculapi templis incubarent, ut rumore aliquo noctu audito quasi deo propinquo caput velarent, ne quid a sacerdotibus fani eo tempore ageretur persentiscerent, atque inde illum morem oriundum cognoscere mihi videor*).

Iam ad Graecum Curculionis argumentum pertinet quod puellula Dionysiis, quae spectatum eam tulit nutrix, rapitur (644 sqq.) posteaque adulta a fratre recognoscitur (653 sqq.) anulo, quem ei die natali dono misit (de anulo cf. p. 16). — Dionysiorum mentio fit etiam in Pseudolo, quae sub eorum tempus agi fingitur, cf. 58 sqq. „*ei rei dies Haec praestitutast proxuma ad Dionysia! Cras ea quidem sunt*“, et 321 „*Ut opperiare hos sex dies festos modo*“, et in Cistellaria, ubi ad actionem idem fere valent atque in Curculione, cf. I, 1, 90 sqq. „*per Dionysia Mater pompam me spectatum duxit. dum redeo domum, Conspicillo consecutust clanculum me usque ad foris; Inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul Blanditiis, muneribus, donis*“. Quibus versibus translatum esse

*) Contra Amph. 1092 sqq. „*ut solent puerperae, Invocat deos immortalis, ut sibi auxilium ferant, Manibus puris, capite operto*“ hoc c. o. Plautus ex Romano usu videtur adiecisse; neque enim ex hoc loco neque aliunde quod sciam probari potest partus quoque dis (i. e. inprimis Dianae, cf. p. 23) Graecos ita sacrificasse.

Digitized by Google

Meinekius vidit fragmentum Menandri p. 243, XXXII „Διονυσίων μὲν ἦν πομπή . . . ὁ δέ μ' ἠκολούθησεν μέχρι τοῦ πρὸς τὴν θύραν· ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων [ἐμέ τε καὶ] τὴν μητέρ' ἔγνω μ'." (cf. etiam Cist. I, 3, 8 „*Fuere Sicyoni iamdiu Dionysia*" etc.). — Denique in Curculione, ut in duabus primis quas tractavimus fabulis, Veneris cultus locum, quamvis minus insignem, obtinet. Ante domum enim lenonis ara Veneris est (cf. 71 sqq.), in qua Leaena, anus „*multibiba et merobiba*", deae libat de vino quod ab amatore meretriculae cuiusdam dono accepit.

In Amphitruone, cuius argumentum ex fabula Herculea compositum est, omnia quae hoc ipso mytho continentur — quae supersedeo dinumerare, quia si conarer omnis fere mihi enarranda esset fabula — exemplari tribuenda esse vix opus est affirmatione. Sed etiam in singulis, quae facile poterat mutare, Plautus Attici poetae vestigia pressisse quibusdam locis cognoscitur. Sic descriptionem proelii inter Thebanos et Teleboos commissi (202—61), quae ad Romanas res accommodata fere habetur, accurate e Graeco translatam esse indicant vv. 256 sq. „*Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes, Velatis manibus**) *orant* ..." Namque supplices ramos oleae ferre fasciis laneis obvolutos Graeci moris est, quod diserte testatur Livius 29, 16, 6 „decem legati Locrensium ... in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicium, ramos oleae, ut Graecis mos est, porgentes". Idem animadvertere possumus eo loco, ubi de nocte a Iove producta ut diutius frueretur Alcumenae consuetudine Sosia scurriles profert facetias v. 272 sqq. „*Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium. Nam neque se septentriones quoquam in caelo commovent, Neque se luna quoquam mutat atque uti exortast semel, Nec iugulae neque vesperugo neque ver-*

*) „*Velatis manibus*" audacter dicit poeta pro „*manibus velamenta* (sic vocabant ipsos ramos lana velatos) *tenentes*".

Digitized by Google

giliae occidunt. Ita statim stant signa neque nox quoquam concedit die". In his enim enumeratio siderum, quae Sosiae semper eidem loco caeli inhaerere videntur, plane eadem est, quam Graeci poetae facere solent in describenda nocturna caeli forma, cf. Eur. Ion. 1149 sqq. Solus Nocturnus (i. e. Kiesslingio interprete quasi Genius noctis, non, ut interpretantur Preller. myth. rom. I³ p. 328 et Forcellinus s. v., stella noctis seu Veneris, quoniam inter sidera, quae in caelo circumagere Nocturnus dicitur l. c., ipsa vesperugo sc. Ἕσπερος versatur) Romanus est deus, cum Graeci non deum noctis sibi finxerint, sed deam, quae ut apud Euripidem l. c. (μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς ὄχημ' ἔπαλλεν· ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ.), sic in exemplo Amphitruonis loco illo, ut opinor, fuit appellata, atque redit apud Plautum paucis versibus post 277 „*Perge, Nox, ut occepisti: gere patri morem meo*", et 545 „*Nunc te, Nox, quae me mansisti, mitto ut concedas die*". Illo tamen loco Plauto libuit servum facere cavillantem in deum Nocturnum quasi vino somnoque gravatum. Hic iocus homini alicui fabulam retractanti ita arrisisse videtur, ut interpolaret versus 282—86 „*Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe: Mira sunt nisi invitavit sese in cena plusculum* ...". Etenim quod paene eodem tempore aliquis admiratur quod sidera in eodem quo initio noctis statu permaneant et quod Sol nondum cum curru suo in coelo apparuerit, ineptius est, quam ut Graeco poetae aliquis imputet; Plauto ne tribuamus impedit quod in v. 282 nullo verbo significatur eundem iocum redire qui fit paulo ante 272. Exspectaremus nimirum particulam ‚etiam' vel ‚quoque' („Credo edepol etiam Solem dormire") si utrumque putaremus eiusdem auctoris.

In argumento Aululariae quod occurrit Fidei fanum, ubi seniculus avarus abscondit thesaurum domi non iam tutum habitum (cf. 582 sqq. 608 sqq. ac praesertim 616 sq.), numquis poterit vel tantillum dubitare, quin Atticus poeta Athenis

Digitized by Google

(nam hic locum fabulae esse docet v. 810) fide sua eiusque templo clarissimis (cf. Diogenian. Corp. Paroem. II, 80 „Ἀττικὴ πίστις ἐπὶ τῶν πιθανῶν ... Ἱδρύσαντο γὰρ οἱ Ἀττικοὶ ἱερὸν Πίστεως") ante hoc ipsum Πίστεως ἱερὸν fabulam agi voluerit? Quamquam Romae quoque antiquitus Fidei fanum constitutum erat in Capitolio, cf. Preller, myth. rom. I³ p. 252; sed ibi domus vicinas Megadori et Euclionis (cf. 290) sitas nemo nimirum Romanus sibi fingere potuit.

In Bacchidibus (170 sqq.) Chrysalus biennio domum reversus salutat patriam vicinumque Apollinem, qui aedibus suis propinquus accolat. Apparet intellegendum esse Apollinem Agyieum, quem inter domesticos deos Graeci habebant cuique ara in coni hebetis formam redacta ante domus posita erat (cf. Hermann. ant. sacr. § 15, 9). Eundem Bdelycleon in Aristophanis Vespis 875 simillime sic invocat: „ὦ δέσποτ' ἄναξ γεῖτον ἀγυιεῦ τοὐμοῦ προπύλου πάρος αὐλᾶς". In media quoque novaque comoedia crebram eius fuisse memoriam indicant palliatae; redit enim Merc. 675 sqq. „*Aliquid cedo, Qui vicini hanc nostram augeam aram Apollinis. Da sane hanc virgam lauri*". Most. 1079 „*ego interim hanc aram occupabo*" (cf. exc. I.), quibus ad amussim respondet fragmentum Menandri fab. inc. 4. p. 280, 207 Mein. „Καθεδοῦμαι δ' ἐνθαδὶ τὸν Λοξίαν τοῦτον καταλαβών". Aul. 598 sqq. „*nunc sine omni suspitione in ara hic adsidam sacra: hinc ego potero quid agant arbitrarier*". cf. Terent. Andr. IV, 3, 11 „Ex ara hinc sume verbenas tibi", ubi Donatus Menandri verba affert a Meinekio l. c. sic. restituta „ἀπὸ Λοξία σὺ μυρρίνας τασδὶ λαβὼν ὑπότεινε". In eadem ara Dianae, haud mirum ut sorori Apollinis, sacrificatur Mil. 411 sqq. „*Inde ignem in aram ut Ephesiae Dianae laeta laudes gratisque agam*", et Truc. II, 5, 23 sq. (476) „*Date mi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam*" (sc. Ἄρτεμιν Εἰλείθυιαν cf. p. 23). Patet igitur hanc aram ad scenicum apparatum Atticae

Digitized by Google

comoediae pertinuisse. — Perinde Dianae quidem cultus proprie Graecus obviam est Bach. 306 sqq. „*Nos aput Theotimum omne aurum deposivimus, Qui illic sacerdos est Dianae Ephesiae. — Qui istic Theotimust? — Megalobusi filius, Qui nunc in Ephesost Ephesiis carissumus ... in eapse aede deae Dianae conditumst: Ibidem puplicitus servant*“. Legimus hic concredi pecuniam ex Graeco more satis noto (cf. Hermann. l. c. § 9, 5) Dianae Ephesiae aedituo', cui generi sacerdotum nomen Μεγάβυζοι fuisse aliunde cognitum est (cf. Strab. 14, 1, 23. Plin. H. N. 35, 10, 93. Hesych. s. v.). Atque habemus fragmentum eius fabulae quam Bacchidibus Plautus expressit, Menandri Διὶς ἐξαπατῶντος, quod cum nostro loco manifesto cohaeret, 4, 105, III. „Οὐ Μεγαλόβυζος*) ἦν, | ὅστις γένοιτο ζακόρος;“ Unde elucet in Attica comoedia Nicobulum ex servo mendacissimo, qui fictum videlicet nomen dixerat ‚Theotimus', quaesivisse, nonne Megalobyzos esset Dianae Ephesiae sacerdos, quippe cum non ignoraret id genus aedituos proprie sic vocari; eumque cavillantem respondisse non Megalobyzum, sed Megalobyzi filium Theotimum, quod Atheniensibus non potuit risum non movere, quibus sine dubio notum esset eunuchos esse Megabyzos (cf. Strab. l. c. „ἱερέας δ' εὐνούχους εἶχον, οὓς ἐκάλουν Μεγαλοβύζους“). Plauti autem versione, qui senem simpliciter interrogantem facit: „*Qui istic Theotimust?*“ acumen ioci magnopere infringitur; nam difficile est intellectu, qua de causa senex hoc quaerat nec satis habeat comperisse eum Dianae Ephesiae esse sacerdotem.

---

*) Ita enim scribendum puto pro tradita scriptura „Μεγάβυζος“. Etsi enim utraque nominis forma alibi servata est (illa legitur apud Plinium et Hesychium ll. cc.), tamen haud scio an his quidem duobus locis lectio adaequanda sit. Nam utramque formam Plauto cognitam fuisse minime credibile; cumque apud Menandrum sine metri damno altera recipi possit, apud Plautum idem sine versus mutatione fieri nequeat, corrigendum credo fragmentum Διὶς ἐξαπατῶντος.

Digitized by Google

Ritschelius quidem, qui in dissertatione de Bacchidibus (Parerga p. 408) hunc locum tractavit, rationem cur praemissam Chrysali mendaciis Nicobuli interrogationem Plautus sustulerit, eam sibi perspicere visus est quod cognitum habuisset poeta barbarus non tam in vulgus notas esse inter Romanos sacerdotii illius condiciones, ut qui de pecuniae apud Ephesios periculo audiret, nihil ei citius quam Megabyzorum recordatio succurreret. At si removere voluisset Plautus interrogationem illam, quae fragmento nostro exprimitur, quod spectatores Megabyzorum condicionis essent ignari, nempe omnem, ut arbitror, evitasset eius nominis mentionem ac ne illud quidem „*Megalobusi filium*“, cuius sententiam ridiculam non magis possent amplecti, ex Menandro transtulisset. Immo mihi videtur veri multo similius Plautum ipsum hic, ut saepius videbimus, exemplum suum parum intellexisse.

Casinae actionis quasi fastigium vocaveris Olympionis cum Casina, cuius partes servus quidam muliebri ornatus vestitu suscepit, nuptias. Quarum apparatu initio actus IV. paucis descripto in III. scena futurus maritus cum tibicine pompaque progreditur ad uxorem ducendam, Graecoque more canunt Hymenaeum. Deinde in scena sequenti alia pompa nova nupta ab ancillis domum mariti deducitur. Hic autem Plautus ni fallor recordatus usus Romani unam ancillarum dicentem facit: „*I sensim superattolle limen pedes, nova nupta. Sospes Iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes.*“ Nam pro malo omine Romanos habuisse novam nuptam primum intrantem domum uxoris in limine pedem offendere, documento sunt loci, ut Catull. LXI, 166 sqq. „transfer omine cum bono limen aureolos pedes rasilemque subi forem“ et Lucan. II. 358 sq. „Turritaque premens frontem matrona corona Translata vetuit contingere limina planta“, unde apparet etiam transportatas esse nuptas

Digitized by Google

supra limen a matronis, quod testantur etiam Plutarch. Quaest. Rom. 29 et Varro ap. Serv. Ecl. VIII, 29.

In Epidico fidicina quaedam partes agit, quae conducitur ut canat inter rem divinam, quam Periphanes senex ex solito Graecorum usu (cf. p. 6 adn.) quod filius peregrinatus salvus redierit facturus est (cf. 314 sqq. 414 sqq. 500 sq.). Pertinet etiam fidicinae illud munus (quae simul tibicina est, cf. 514 „*Fides non reddis? — Neque fides neque tibias*“) ad usum quendam Graecorum proprium. Quamquam enim apud Romanos quoque inter rem divinam tibiae sonabant, „ne quid aliud exaudiretur“, ut ait Plinius H. N. 27, 11, tamen ad hanc rem tibicine (de collegio tibicinum, qui sacris praesto sunto, cf. Marquardt-Mommsen VI, p. 171), non tibicina utebantur, ut Graeci fere posteriore aetate (cf. Menandr. 4. p. 161). Sine dubio mulieres meretricio genere (cf. Epid. 402 sq. „*In aediculam istanc seorsum concludi volo. Divortunt mores virgini longe ac lupae*“) ad sacra adhibere religione vetiti sunt. — Porro ad actionem Epidici aliquanti momenti sunt res signaque quibus Telestis ab hostibus capta patriaque abducta recognoscit servum patris, a quo fabulae nomen est. Nam is cum prius cognoverit erilem filiam, ornamenta quaedam, quae eri iussu*) ad eam aliquando dono attulerit, in mentem ei

*) Nam de suo Epidicus erili filiae munera ea detulisse propterea cogitandus non est quod ea paelice erat nata (cf. 170. 540) Thebisque cum matre inde ab ortu habitabat (cf. 636), cum patri eius Periphani Athenis esset domicilium ac familia (cf. 502). Immo rem ita se habere necesse est, ut Periphanes, qui filiam ubi primum vidit numquam vidit postea neque omnino novit (cf. 600), aliquando die natali eius servum cum munere ad eam Thebas miserit, complures videlicet annos postquam nata est, quia memoria eius rei ei remansit. Factum autem esse, ut servi Graeci dominorum liberis (nimirum iusto matrimonio susceptis) natalicia munera darent docet Terent. Phorm. I, 1, 12 sqq. „porro autem Geta Ferietur alio munere, ubi era popererit; Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies: Ubi initiabunt. omne hoc mater auferet“. Quem locum e Graeco expressum esse Donatus testis, qui haec adnotat: „Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur in insula Samothracum

Digitized by Google

revocat interrogans (639 sq.): „*Non meministi me auream ad te adferre natali die Lunulam atque anellum aureolum in digitulum?*“ Sunt autem hae res eiusmodi, quibus fascinum depelli veteres crediderunt. Namque lunulas ex metallis vel lapidibus factas infantibus pro tutela in collo suspendere et Graeci et Romani consuerant, cf. O. Iahn, „über den Aberglauben des bösen Blicks bei den Alten“, Ber. d. sächs. Ges. d. W. 1855. p. 42 sq. Atque etiam anellus aureolus, sicut ille qui occurrit Curc. 653 sqq. (cf. p. 9), opinor intellegendus est is, quem Graeci vocarunt δακτύλιον φαρμακίτην cuique magicam vim tribuerunt, cf. Becker. Charikl. I², p. 329. Eiusdem generis sunt in Rudente Palaestrae crepundia, quae ad actionem non minorem vim habent quam cistella (cum crepundiis) in fabula inde cognominata. Etenim cum illis olim periit Palaestra trima puella (cf. 744) a praedonibus rapta (cf. 40) devenitque in potestatem lenonis, qui ademit ei cistulam ubi inerant, „*ne copia eius esset, qui suos parentes nosceret*“. Haec cistula cum navi, qua leno patriam fugiturus erat, fluctibus absumpta ad litus appellitur, ubi Gripus eam reti extrahit. Defertur ad erum eius Daemonem, Palaestrae patrem, qui recognoscit filiam eo quod singula crepundiorum particula ei memoriter enumerat atque describit (1154 sqq.). Qua ex descriptione elucet fuisse monile aureum, qualia Graeci infantibus et fascini causa (περιάμματα vel προβασκάνια,

---

a certo tempore pueros initiari more Atheniensium“. Ex quo loco, quamvis corruptus sit sive librariorum culpa sive ipsius Donati, qui ex fonte perverse transscriberet, illud tamen sequitur „initiabunt“ Terentianum spectare non ad Romanum morem pueros, ubi primum a lacte et a cunis transierint, initiandi Eduliae et Poticae et Cubae divis edendi et potandi et cubandi (quem tradit Varro ap. Donat. l. c. et ap. Non. II, 310), verum ad mysteriorum μύησιν καὶ τελετήν, qua constat ipsos infantes a Graecis imbutos esse, cf. Hermann, l. c. § 32, 5. Itaque apparet quod Beckerus Gall. II³, p. 64 statuit servos Romanos erorum liberis diebus natalibus munera obtulisse omni fundamento carere.

Digitized by Google

cf. O. Iahn l. s. s. Hermann. ant. Graec. IV[3] p. 282. 290) et ut recognoscerent amissos aut expositos (ἀναγνωρίσματα cf. Becker. Char. I[2] p. 342) de collo suspenderent. Nihilo secius existimarunt antiquitatum Romanarum scriptores doctissimi Beckerus (Gall. II[3] p. 645 sq.) et Marquardtius (ant. Rom. VII[2], 1, p. 118) Plautum loco illo describere collare, quale sui populi pueruli gestaverint, quia, ut ait ille l. c., „sich Statuen von römischen Knaben erhalten haben, welche genau dieselben Gegenstände am Halse tragen, die von den Komikern als übliche Geschenke genannt werden". Extat sane in museo Pioclementino (Visconti III, t. 22 et t. A, 12) singularis quaedam statua (votiva ut videtur) pueri cum catella pectore demissa, cuius in membriculis certo agnoscitur „*ensiculus*" (Rud. 1156) et „*ancipes securicula*" (1158 sq.), fortasse etiam „*sicilicula*" (1169), nisi est luna in falcis formam minuta (pro „*duabus conexis maniculis*" una inest manus aperta). Sed nulla re demonstratur haec statua Romanae esse originis. Immo inter crepundia pueri nonnulla distinguere possumus quae Graecam prae se ferunt superstitionem, ut delphinum, symbolum Veneris aut Neptuni, nucem pineam, quam scimus tulisse mulieres in Dionysi mysteriis (cf. Lobeck. Aglaoph. p. 560 e), malleum, Vulcani et Cabirorum insigne (cf. Welcker, aeschyl. Trilog. p. 261. Wieseler, A. D. II, 818 sqq.), bipennem *), quam aut et ipsam ad Dionysi cultum referre possumus (gestatur enim in vasorum picturis a Baccho vel ab eius comitibus, cf. Saglio in „Daremberg et Saglio, Dictionnaire des antiquités Grecques et Romaines, 1873. s. v. Bipennis) aut ad Iovem Labrandeum, vetustissimum illum ac supremum Carium deum, cui proprie adscribitur, cf. Overbeck, Kunstmythologie I, 1 p. 268 sqq. Cuius cultus alia quoque in-

*) Bipennem cur Visconti l. c. p. 31 ad Cabiros Samothraciae spectare dixerit non assequor.

Digitized by Google

veniuntur apud Graecos vestigia*) neque quidquam admirationis habet in amuletis, quorum efficaciam veterum superstitio vel externis potissimum dis attribuerit (cf. O. Iahn, l. l. p. 46). Atque hoc ipso symbolo, quia occurrit etiam in Rudente, potissimum evincitur et illam statuam Graeci pueri esse imaginem et versus Plautinos ex Attica comoedia expressos. Cui sententiae ne id quidem obstat, quod Plautus ultimo loco in crepundiis nominat bullam auream, fascini tutamentum vere Romanum. Nam cum veteres auctores bullam semper puerorum ornamentum significent (cf. Marquardt-Mommsen VII, p. 83 sq. et 122) neque puellas eam gestasse ullum doceat aut literarum aut artis monumentum praeter unam inscriptionem serae aetatis minimaeque auctoritatis Orelli 1301 „Iunoni placidae conservatrici augustae Claudia Sabbatis bullam d. d.“ (est transcripta ex Boissardi Antiquitatibus, Tom. II s. Part. IV, p. 128. Francf. 1598), existimo hic Plautum pro ignoto aliquo „περιάπτῳ ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένῳ“ (ut ait Plut. Pericl. 38), quod inter puellae crepundia exemplar exhibebat, notissimum Romanae iuventutis nobilis insigne posuisse, de puellae praebiis mentionem fieri prorsus incuriosum.

In Menaechmis Graecam originem facile ostentat lepidissima illa scena (V, 2), in qua alter geminorum, a quibus fabula nomen traxit, ἐκ Βάκχου, deinde ἐξ Ἀπόλλωνος, ut Graeci dicunt, μαίνεσθαι ementitur imitando tragoediae grande genus dicendi, de qua cf. Kiessling., Analecta Plautina II, Ind. lect. Gryphisw. 1881. p. IX.

---

*) Cf. Welcker. griech. Götterlehre I, p. 641 sq. Huc pertinent etiam bipennes votivae ex auri laminis vel ex aere cusae, quae haud paucae nuper Olympiae et Mycenis in sepulcris repertae sunt, cf. A. Furtwaengler „Die Bronzefunde aus Olympia und deren kunstgesch. Bedeut.“ Abhandl. d. königl. Akad. d. W. Berl. 1879. p. 33 sq. et Milchhoefer „Die Anfänge d. Kunst in Griechenl.“ Leipz. 1883. p. 116 sq.

Digitized by Google

Iam vero Mostellariae argumenti omnis inventio et tractatio quasi fundamento nititur superstitiosis veterum quas quidem de morte mortuisque habuerunt opinionibus. Nam praeclarissimae ac pulcherrimae totius fabulae scenae (II, 2) festivitas in eo vertitur, quod Tranio servus, fallacias componendi callidus artifex, erum ex itinere redeuntem ab aedibus, ubi filius eius cum sodali scortisque agit convivium, prohibet simulans ibi vagari hospitis ab hospite quondam necati animam, quae etiam filio eius in somniis visa itaque locuta sit: (499 sqq.) „*Ego transmarinus hospes sum Diapontius; Hic habito, haec mihi deditast habitatio; Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit, Quia praemature vita careo . . . hospes me hic necavit isque me Defodit insepultum clam in hisce aedibus*“. His verbis duplex pronuntiatur causa, cur factum sit, ut mortui anima nequeat ad inferos descendere, et quod haud rite corpus in sepulcro conditum sit, et quod ante tempus a fato destinatum subita ille ac violenta morte sit absumptus. Atque prior quidem opinatio pervulgata apud veteres est, altera etsi minus celebrata, tamen ipsa quoque Graecis et Romanis communis, cf. Liv. III, 58, 11 „Manesque Virginiae, mortuae quam vivae felicioris, per tot domos ad petendas poenas vagati nullo relicto sonte tandem quieverunt“ *). Graecos autem eadem fere de hominibus caede interemptis sibi finxisse docet exemplum Ionis in Aeschyli Prometheo ad insaniam redactae Argi a Mercurio necati umbra (εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς, qui τὰν τάλαιναν ἐξ ἐνέρων περῶν κυναγετεῖ, 568 sqq.); atque imprimis vulgari opinione, quam sanxit Plato de legg. IX, p. 865 D., ὁ θανατωθεὶς βιαίως θυμοῦταί τε τῷ δράσαντι καὶ τὸν ἑαυτοῦ φονέα δειμαίνει καὶ ταράττει. Ad doc-

*) Romani has animas Lemures appellabant, cf. Porphyr. ad Hor. Epist. II, 2, 208 „Lemures umbras vagantes hominum ante diem mortis mortuorum et ideo metuendos“, atque tribus anniversariis diebus nocturnis sacris Lemuriis placabant, de quibus cf. Ovid. Fast. V, 419 sqq.

Digitized by Google

trinam quandam illa de hominibus immature (ἄωροι Solo frg. 27, 19 B. ἀωρὶ θανάτῳ s. ἀωροθάνατοι Aristoph. frgm. II, p. 1207, 139 Mein.) exstinctis sententia videtur a Persis exculta esse, cum Tertullianus, qui in libro de anima (cf. c. 56 „Aiunt et immatura morte praeventos eo usque vagari istic, donec reliqua compleatur aetatis" etc.) in ea re multus est, vocabulis ἀώρους et βιαιοθανάτους eisdem se uti dicat (c. 57) „quibus auctrix opinionum istarum Magia sonat, Hostanes et Typhon et Dardanus et Damigeron et Nectabis et Berenice". Quoniam igitur in aedibus Theopropidis corpus alicuius vi occisi insepultum iacere animaque inquieta circumvagari dicitur, scelesta ac capitalis est tota habitatio quique tangit eam secundum veterum existimationem ipse fit impurus atque indigens expiatione. Quare iam primum Tranio ubi senex superstitiosus pultavit fores suarum aedium, quasi timore percussus exclamat (464) „*Metuo te atque istos expiare ut possies*", terramque eum tangere iubet, sc. ad inferos placandos (de hoc ritu veteribus communi cf. Il. IX, 568 sq. Macr. Sat. III, 9, 12), ac postremo strepitum intus auditum Lemuribus monstrisque illis commenticiis tribuendo eo perducit erum meticulosum, ut operto capite aufugiat Herculem invocans (cf. 508 sqq. „*Cave respexis, fuge, operi caput . . . Atque Herculem invoca. — Hercules, te ego invoco*") ut Ἀλεξίκακον, quem cum omnia mala tum umbras, quia ipsos inferos vicerat, propellere Graeci putabant (cf. Preller. myth. graec. II³, p. 272 sq.). Hoc epitheton in Attica fabula Herculi additum fuisse inde colligo quod in sequenti versu Plautino Tranio senem fugientem his prosequitur verbis: „*Et ego* (sc. Herculem invoco) *tibi hodie ut det, senex, magnum malum*". Videsne enim hoc „malum dare" facete oppositum esse τῷ „malum avertere", quod exprimit illud Graecum epitheton („κακὸν ποιεῖν" τῷ „κακὸν ἀλέξασθαι")?

Digitized by Google

§ 1 b.

His omnibus quos tractavimus locis, si pauca excipimus a Romana religione addita*), Plautum intelleximus earum quas expressit fabularum res sacras, etiamsi a Romanis essent alienae, integras et illibatas in palliatas suas recepisse. Sed profecto fieri non potuit quin barbaro poetae vertenti quae ab Atticis comicis Attico more dicta erant interdum deessent vocabula Latina quae aliena accurate exprimerent. Quid mirum igitur quod nonnumquam ex Romana religione quae Graecarum rerum vim et notionem aliquatenus redderent res nomina locutiones depromeret? Quodsi in argumento fabulae Plautinae inveniemus aliquid e Romano cultu petitum, circumspiciendum nobis erit, quaenam res Graecis sacra cum illa plurimum habeat similitudinis, eamque in exemplari Plauto ante oculos fuisse summa veritatis specie, ne dicam veritate, statuemus. Velut si legimus in Aulularia Euclionem thesaurum, quem ne in Fidei quidem fano satis tuto conditum expertus sit, abscondere in „*Silvani luco extra murum avio, crebro salicto oppleto*“ (666) ibique eum inveniri a servo quodam, qui in arbore sedens spectaverit, ut aurum a sene abstruderetur (701 sqq.), num possumus ullo modo dubitare hunc locum aeque ac Fidei illud fanum (de quo cf. p. 11 sq.) in exemplo analogon quiddam habuisse? Et quoniam Silvanus omnium Graeciae deorum Pani natura maxime cognatus et erat et a Romanis existimabatur (cf. Preller. myth. Rom. I^3, p. 397), antrum autem inclutum huius dei sacrum Athenis, ubi Aulularia agitur (cf. p. 12), sub acropoli inter septentriones et occasum solis situm fuisse notum est**), an temerarium erit conicere hoc antrum Atticae comoediae poetam voluisse intellegi? At vero mirum quantum interest inter

*) Cf. p. 7 adn. 11. 14.

**) Cf. Herodot. 6, 105. Aristoph. Lys. 911 cum schol. Pausan. 8, 54, 6. v. Wilamowitz, Kydathen p. 107.

Digitized by Google

Πανὸς ἄντρον ἐν Μακρᾶις (Eur. Ion. 13) et Silvani lucum extra urbem avium. Merito istud, interest haud parum. Sed cum Silvani nomen pro Πανὸς Plautus usurparet, necessario ei opus fuit etiam locum deo sacratum immutare; quid autem aptius horrido Silvano, quem delectant silvarum dumeta, quam lucus extra murum avius, quales sine ulla controversia prope urbem vel complures exstiterunt? Ita ex versione illa locorum diversitas se ipsa declarat. Ad eandem Athenarum regionem poetae consilio ducimur in Bacchidibus, ubi v. 900 Chrysalus servus Cleomachum militem gloriosum, qui meretriculam sibi nuptam quaeritat domi Nicobuli, ubi cum amatore concubuit, hoc mendacio ab aedibus illis arcere studet, ut dicat eam in arcem abiisse „*aedem vissere Minervae*“. Potest quidem fieri, ut Romana multitudo indocta, quae fabulis Plautinis aures praebebat, cogitaverit de cella Minervae in aede Iovis Capitolini; nam profecto Capitolium etiam arx appellata est (cf. Becker-Marquardt, ant. Rom. II, p. 385 sqq.) — quamquam valde dubito num meretricii generis mulieribus Romani tam sacri augustique loci adeundi potestatem fecerint; sed cultiores spectatorum Graecasque literas edoctos certe non fugit poetam Latinum hoc hausisse ex Menandri Δὶς ἐξαπατῶντος, Bacchidum exemplo, ubi legerat puellam in templum Ἀθηνᾶς Πολιάδος ἐν ἀκροπόλει Atheniensi, qua in urbe fabulam agi auctor iamdudum indicaverat (cf. 235 „*Ibo in Piraeum*“) rei divinae causa ascendisse.

Non locum, sed diem sollemniter ab Atheniensibus sc. matronis celebratum, reperimus commemoratum in argumento Aululariae. Apud patrem amatae a se puellae adulescens quidam se ipse accusat 794 sqq.: „*Ego iniuriam fecisse filiae fateor tuae Cereris vigiliis per vinum atque impulsu adulescentiae*“. Has Cereris vigilias a fastis Romanis prorsus alienas Graeca Θεσμοφόρια intellegenda esse ne veteres quidem fefellit interpretes, cf. Taubmann in editione Gruteriana 1621.

Digitized by Google

In eadem fabula (691 sq.) puella gravida ubi parturire coepit post scenam — nam virgo liberalis est neque earum ullam orationem in proscenio induci in palliata comoedia Donatus affirmat praef. Andr. v. fin. — auditur cum dolores utero exortos conqueritur partusque deam ut sibi auxilium ferat exorat haecce vociferans: „*Perii, mea nutrix: obsecro te, uterum dolet. Iuno Lucina, tuam fidem*“. Et in Truculento meretrix, quae in ipsa scena quasi puerperio aegrota accumbit, Lucinae sacra facit stacta verbena ture bellariis in aram impositis (II, 5, 23 sqq.). Apparet utramque Iunonis Lucinae invocationem ab Attica comoedia profectam esse. Atqui scimus Athenienses matronas ubi ex partu laborabant non Ἥραν, sed Ἄρτεμιν Εἰλείθυιαν implorasse. Sed ad Andriam Terentii (III, 1, 15), ubi item puella parturiens post scenam exclamat: „Iuno Lucina, fer opem, serva me, obsecro“, Donatus adnotat: „Hoc extra etiam hanc potestatem Iunoni attribuitur; quanquam illam Menander Dianam appellet“. Quid igitur? Nonne luce clarius est Plautum quoque illic pro Graeco ritu Romanum qui ei responderet exhibuisse?

Idem denique statuendum est de eis locis quibus domus familiaeque deorum Larum et Penatum fit commemoratio. Quorum primum nomine Mercatoris illam scenam (830 sqq.), ubi adulescens Charinus ancillae, cuius copiam habere a patre prohibetur, infelici amore ad desperationem adductus tragico quodam impetu valedicit aedibus paternis patriisque penatibus: „*Di penates meum parentum, familiai Lar pater, Vobis mando, meum parentum rem bene ut tutemini. Ego mihi alios deos penatis persequar, alium Larem, Aliam urbem, aliam civitatem, ab Atticis abhorreo*“. Graecorum moris fuisse, ut deos patrios et domesticos (θεοὺς πατρῴους et ἑφεστίους) salutarent patria decessuri, et ex tragoedia et ex comoedia exemplis potest probari. Velim memoriam sibi quis revocet Polynicis in Euripidis Phoenissis, qui a fratre in exilium eiectus queri-

Digitized by Google

bundus exclamat 604 sqq. „ὦ θεῶν βωμοὶ πατρῴων . . . κλύετε μου. 631 sq. καὶ σὺ Φοῖβ' ἄναξ Ἀγυιεῦ, καὶ μέλαθρα χαίρετε", vel Alcestidis in hac fabula priusquam ad inferos descendat idem pietatis officium rite exsequentis 162 sqq. „στᾶσα πρόσθεν ἑστίας κατηύξατο, δέσποιν', ἐγὼ γὰρ . . . πάντας δὲ βωμοὺς, οἳ κατ' Ἀδμήτου δόμους, προσῆλθε κἀξέστεψε καὶ προσηύξατο". Et ad similem fortasse occasionem spectat Cratini fragmentum II, 142, 3. Mein. „Χαίρετε δαίμονες, οἳ Λεβάδειαν Βοιώτιον οὖθαρ ἀρούρης (ναίετε)", quamquam hoc eadem opera, qua ad discessum, ad reditum possis revocare, quia non minore cura Graeci cum peregrinati penates suos repetebant religionem illam observarunt, cf. Eur. Herc. 599 „καλῶς προσελθὼν νῦν πρόσειπε θ' ἑστίαν . . . δράσω τάδ'· εἰμὶ εἴσω δόμων . . . οὐκ ἀτιμάσω θεοὺς προσειπεῖν πρῶτα τοὺς κατὰ στέγας". Huius quoque moris apud Plautum fit mentio Stich. 534 „*Deos salutatum . . . modo intro devortor domum*" (ait Pamphilus in patriam reversus, cf. 506), sicut alter recurrit Mil. 1316 „*Etiamnunc saluto te, Lar familiaris, priusquam eo*". Itaque promptum est horum omnium locorum in Graecis quaerendam esse originem. Illud sane explorata ratione disceptari nequit, quod unoquoque loco vocabulum poeta Latinus Penatum, quod Laris familiaris nomine reddiderit. Nam cum Lari quidem Graeci nullum omnino haberent deum aequalem, quippe cum non unum, sed complures semper coniunctos colerent familiae domusque praesides aliaque eos ac Lares natura, Penates autem, quo nomine Romani et patrios et domesticos cuiusque deos (seu potius divina proprii generis numina) denotarent, ne ipsos quidem una appellatione possent complecti, sed modo πατρῴους seu γενεθλίους, modo ἑφεστίους seu κτησίους seu μυχίους seu ἑρκείους interpretarentur (cf. Lobeck, Aglaoph. p. 1237 sqq.), id solum in universum ponere possumus Plautum pro Graecis dis patriis et familiaribus in exemplis commemoratis Romanos, quamvis diversae essent na-

Digitized by Google

turae, induxisse. Eadem vertendi ratione, nisi vehementer fallimur, usus est in Aulular. 383 sqq. „*Nunc tusculum emi et has coronas floreas, Haec imponentur in foco nostro Lari, Ut fortunatas gnatae faciat nuptias*“. Vide enim quam mira intercedat similitudo inter hunc locum et fragmentum Antiphanis (ex Timone) 3, 118 Mein. „Ἥκω πολυτελῶς ἀγοράσας εἰς τοὺς γάμους λιβανωτὸν ὀβολοῦ τοῖς θεοῖς καὶ ταῖς θεαῖς πάσαισι, τοῖς δ' ἥρωσι τὰ ψαίστ' ἀπονέμων“ κτλ. Haec verba quo pacto possumus aptius explicare, quam si referimus ad condicionem eiusmodi qualis est in Aulularia, ut senex parcipromus, qui ad nuptias filiae exornandas in forum obsonatum ivit, regrediatur turis aliquot granis emptis, quibus dis familiaribus se credat posse satisfacere? Quamquam enim τοῖς θεοῖς καὶ ταῖς θεαῖς πάσαισι illud tusculum destinatum dicitur, nimirum quo magis ridiculum appareat hominis avari consilium omnes deos ὀβολοῦ λιβανωτῷ propitiare, tamen re vera audiendi sunt di domestici, vel ideo quod in aedium altaribus incenduntur odores, tum quia in nuptiis illos sollemniter advocatos esse aliunde notum est, cf. Eur. frgm. Phaet. 781, 32 sqq. N., ubi Merops rex filio nuptias paraturus uxorem iubet „πᾶσι τοῖς κατὰ στέγας θεοῖς χορεῦσαι καὶ κυκλώσασθαι δόμους σέμνοισιν ὑμεναίοισιν Ἑστίας θ' ἕδος“.

Quae cum ita sint, duos alios quoque locos quibus Lari familiari preces atque sacra fiunt Graecae esse originis non ambigimus. Alter est initio scenae secundae Trinummi (39 sqq.), ubi Callicles domo sua recens empta egrediens ita loquitur cum uxore intus moranti: „*Larem corona nostrum decorari volo, Uxor, venerare, ut nobis haec habitatio Bona fausta felix fortunataque evenat*“, alter Rud. 1206 sqq., quo loco Daemones ex improviso inventa filia (cf. 1196) gavisus et ipse per apertas aedium fores uxorem inclamat: „*adorna, ut rem divinam faciam, quom intro advenero, Laribus familiaribus, quom auxerunt nostram familiam*“. Etsi enim non suppetit mihi disertum an-

Digitized by Google

tiqui scriptoris testimonium quo sententiam meam confirmem, tamen ne sic quidem credo sine veritatis specie summa mihi licet defendere Graecos, qui proficiscentes et redeuntes domus focique deos salutarent, qui in nuptiis et in omnibus fere rebus quae ad vitam familiarem gravioris essent momenti (cf. Petersen, „der Hausgottesdienst bei d. Griechen", Zeitschrift für d. Alterthumswissenschaft 1851. p. 199) precibus sacrificiisque eos propitiarent, etiam in novo constituendo domicilio θεοὺς ἑφεστίους, quorum imagines secum ferrent sede mutata, ut habitatio sibi bona faustaque eveniret implorasse. Quod vero senex pius (cf. 1194) orbus vitam degens postquam praeter spem et opinionem filiam repperit, quam olim amisit parvolam (cf. 744), dis gentis ac familiae laudes gratesque agit, cum benigne facultatem dederint stirpis propagandae (cf. 1195 sqq.), nonne id cum Atheniensium religione vitaeque consuetudine optime sentis convenire?

Una tamen relinquitur Larum commemoratio quam non possumus quin ad Romani poetae inventionem revocemus, Aululariae dico prologum, quem ipse loquitur Lar familiaris. Ut enim sumamus Atticae quoque comoediae quae illi exemplo fuit deum aliquem esse prolocutum, at inter domesticos Graecorum deos invenimus neminem, qui ad personam illam sustinendam idoneus videri possit. Nec mirum, cum ab iis, ut iam supra diximus p. 24, complures semper dei congregati domum familiamque tueri, non unus hoc munere solus perfungi creditus sit. Consequens esse videtur, ut in hac re barbarus interpres exempli Attici vestigia deseruerit. Sed quoniam nescimus an prologus noster, qualis extat, ab ipso Plauto sit conscriptus — quanta enim qui fabulas Plautinas post mortem auctoris de integro tractabant libidine in ipsos prologos grassati sint nemo ignorat —, ad quaestionem a nobis de Plauti vertendi ratione institutam illud non facit.

Digitized by Google

§ 2 a.

Iam procedimus ad eas res sacras Plautinas, quae quamvis ad argumentum haud necessariae, tamen quod ad Graecum usum certis rationibus referri possunt, ab exemplaribus Atticis originem ducere existimandae sunt. Quibus in collocandis ac disponendis ita agere mihi liceat, ut prius quae de deorum natura et muneribus apud Plautum feruntur sententiae, deinde quae ad cultum ritusque sollemnia spectant percenseam atque perlustrem.

Ac primordia unde potius capiam quam ab eis qui in Graecorum et Romanorum religione summum locum obtinent, a supremo Iove dearumque regina Iunone? Qui coniuncti ut veterum animis ita proverbio quoque perhibentur, quod Trin. 208 Callicles profert scurrarum, „*qui omnia se simulant scire neque quicquam sciunt*“, mendacem loquacitatem perstringens (206 sqq.) „*Quod quisque in animo habet aut habiturust, sciunt; Sciunt quid in aurem rex reginae dixerit: Sciunt quod Iuno fabulatast cum Iove*“. Hoc enim enuntiato Graecum aliquod adagium aut exprimi aut significari recte collegerunt interpretes ex eo quod similiter de mulierum garrulitate dicit Theocritus XV, 64 „Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν“. Proximus est, si duodecim deorum quos ut potentissimos et sanctissimos communi nomine ac veneratione Graeca religio complexa est (nominantur etiam apud Plautum Epid. 610 sq. et 675) numerum ordine persequimur, „*Iovis frater aetherei*“ Neptunus. Invenimus mentionem eius manifesto Graecam Rud. 160 sqq. „*Set o Palaemon, sancte Neptuni comes, Quod facinus video*“? Quod enim Palaemonem invocat Sceparnio in mare prospiciens, qui Graeco mytho cum matre Inone in mare deiectus et in deum marinum mutatus Neptuni comes perhibitus est (postea eum Romani parem autumabant Portuno, cf. Fest. 242, 1), aperte indicat Graecum versuum auctorem.

Digitized by Google

Idem iudicandum est de loco Pseudoli ubi coquus quidam incredibilem artis suae sollertiam tumido ore praedicans mira ac prorsus inaudita iactat condimentorum quae norit nomina pergitque (834): „*Haec ad Neptuni pecudes condimenta sunt: Terrestris pecudes cicimandro condio, Hapalopside aut cataractria...*“ Talibus enim poesis floribus, qualis est „*Neptuni pecudes*“ pro „*pisces*“, Atticae comoediae coquos gloriosos sermones suos ornare artisque ieiunitatem ut cibos condimentis condire solitos esse ex fragmentis etiamnunc perspicuum, cf. Lorenz. praef. Pseud. p. 12 sq. — Summos vero inter deos Plautinos, uti par est in fabulis quae totae fere versentur in rebus amatoriis et meretriciis, occupavit Venus honores. Quae quantas ageret partes in argumentis Rudentis et Poenuli iam in exordio dissertationis nostrae exposuimus. Sed non minus crebro in ceteris fabulis nomen eius in diversissimis casibus nuncupatum occurrit. De his locis cunctis, quos afferre minutae et supervacaneae esset subtilitatis, unum idemque iudicium facere possumus, esse transscriptos ex Plauti exemplaribus. Namque vulgaris notitiae est Venerem primitus a Romanis hortorum et vinearum patronam cultam esse, qua notione etiam Varro eam invocat de re rust. I, 1. 6 „Item adveneror Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum, quo nomine rustica Vinalia instituta“. Ἀφροδίτης autem munera cum primum a. 217 a. Chr. publice ei delata sint — eo enim anno Romae ex libris Sibyllinis aedes ei vota est cum lectisternio duodecim deorum, in quo Graeco ritu cum Marte coniuncta erat, cf. Liv. XXII, 9. XXIII, 30 sq. — valde dubium est num brevi intermisso annorum spatio Graeca illa Veneris natura plebi Romanae tam familiaris fuerit, ut gestiret Plautus sua sponte nomen eius cultumque fabulis suis inserere, cum Atticae quas exprimeret comoediae per se Veneris commemoratione abundarent. Neque aliter res se

Digitized by Google

habet de comitibus Veneris Amore et Cupidine. Hi enim Romae nunquam divinis honoribus perfuncti viguerunt solummodo in carminibus poetarum, qui Graecorum Ἔρως et Ἵμερος ita Latine transferrent *). Ab Atticis igitur fabulis illi in Plautinas irrepserunt, sive soli nominantur (ut Asin. 156 „*Fixus hic aput nos est animus tuus clavo Cupidinis*“ **), Most. 135 „*pro imbre Amor advenit; Is usque in pectus permanavit*“ ***), cf. ib. 155. Merc. 845. Pers. 1. 4. 25. Poen. V, 3, 14. Trin. 673 sqq.) sive cum Venere coniuncti (ut Curc. 3 „*Quo Venus Cupidoque imperat suadetque Amor*“, cf. Asin. 803. Pers. 24 sq.).

Aeque Apollo deus omnino Graecus quibus extat locos a Plauto ex Atticis exemplaribus receptos esse ostendi potest. Ut qui ad oraculum templumque eius celeberrimum pertinent Pseud. 480 „*Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito*“, et Aul. 394 sqq. „*Apollo quaeso subveni mi atque adiuva: Confige sagitis fures thensaurarios: Qui in re tali aliis iam subvenisti antidhac*“, quo alludi ad Gallorum in Graeciam invasionem oppugnationemque Delphorum, quos mirum in modum Apollinis auxilio praesenti servatos esse fama ferebat, Kiesslingius Mus. Rhen. 23. p. 214 ingeniose perspexit. Quae verba, ubi primum acta est quae Aululariae exemplo fuit comoedia, recenti Gallici nominis terrore perculsis animis cum assensu certe plausuque omnium accepta sunt: a Plauto eiusque fabularum spectatoribus neutiquam potuerunt intellegi. — Iam de Vulcano mihi suppetunt duo loci quos opinor Graecae habendos originis. Amph. 341 Mercurius quaerit ex Sosia, qui cum laterna cornea incedit: „*Quo ambulas tu, qui Volcanum*

---

*) Et Ἵμερος quidem Latine videtur „Cupido“ dictus esse, cf. Ennii frgm. Medeae 216 sq. cum Eurip. 57 sq.

**) Clavi imagine Graeci denotabant ea quae immota starent atque infixa, cf. Aesch. Suppl. 907 „τῶν δ' ἐφήλωται τορῶς γόμφος διαμπάξ, ὡς μένειν ἀραρότως“.

***) Haec verba continere Danaes fabulae significationem in aperto est.

Digitized by Google

in cornu conclusum geris"? Nempe haec μετωνυμία e Graeco poetice loquendi usu petita est, quo Ἥφαιστος, ut Ἄρης Δημήτηρ Βάκχος Ἅιδης, pro re cui praeerat haud raro usurparetur, cf. Hom. Il. B, 426. Soph. Ant. 123. 1007. Hesych. s. v. *). Partim huc spectat quod Men. 329 Cylindrus coquus emptum opsonium apponere vult „*ad Volcani violentiam*", partim ad id quod de coquorum poetico genere dicendi dixi p. 28. — Nec minus Graeca opinio est quam profert de se ipso Mercurius in prologo Amphitruonis 11 sq., „*Nam vos quidem id iam scitis concessum et datum Mi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro*", et de eodem deo Pinacium Stich. 274 „*Mercurius Iovis qui nuntius perhibetur, numquam aeque patri Suo nuntium lepidum attulit*". Nam Romana religio ei nullum alium tribuit munus divinum nisi mercatorum, ut vel nomen significat, custodiam. Cetera, quae Horatius noto illo carmine (I, 10) Mercuri celebrat munera, omnia a Graecis postea accepta (cf. Preller, myth. Rom. II³, 232.).

Ita concluso duodecim deorum, qui quidem a Plauto commemorantur, circulo ad signa caelestia nos convertimus quae divino numine praedita hominibus lucem et tenebras ferre ab antiquis credebantur Solem, Lunam, Arcturum et qui cum illis proximas habent rationes Noctem et Diem. Quorum alterum par Sol et Luna etiam in Italia inde ab antiquissimis temporibus cultum est, alterum Dies et Nox a Romanis divino honore non celebratum, in Graeca tantum non omnium aetatum poesi nequaquam insolitum aut obscurum. Itaque ex Graeco fonte sine ulla dubitatione hausti sunt Bacch. 255 sq. „*Volcanus, Luna, Sol, Dies, di quattuor, scelestiorem nullum illuxere*" et Merc. 3 sqq. „*Non ego item facio, ut alios in comoediis Vidi amatores facere qui aut Nocti aut Die Aut Soli aut Lunae miserias narrent*

*) Huc conferre possumus etiam Stich. 661 sqq., ubi servus vini cadum portans iocatur: „*Fero convivam Dionysum*".

Digitized by Google

suas". (Ita etiam in Theocriti Φαρμακεύτριαι Simaetha Lunae narrat amores: „Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ', ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα.)". Tertium sidus Arcturus, quod vel ex nomine patet, Graecis solis fuit insigne, ut minime dubium sit quin Rudentis prologus, quem, qualem aetas tulit, Brixius praef. Trin. p. 20 summo iure Plauto adiudicat, prodierit ex ingenio saltem et inventione Attici poetae. Huic igitur debetur etiam mira illa de stellis sententia — ut videtur fabula popularis — (v. 6—27), quae dicuntur noctu in caelo, die in terra versari Iovique quid homines agant boni et mali renuntiare. — E reliqua deorum multitudine praesertim duo nominandi sunt, quos patre divino, mortali matre genitos, in terra ipsa versantes praeclara in genus humanum beneficia contulisse Graeca religio docuit, Aesculapius et Hercules. Quorum cum satis crebra sit apud Plautum memoria, hic tamen paucos ex locorum congerie iuvat afferre. De Aesculapio quidem unum, Men. 882 sqq. „*Lumbi sedendod, oculi exspectando dolent, Manendo medicum, dum se ex opere recipiat. Odiosus tandem vix ab aegrotis venit, Ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium*". His versibus Romanorum medicorum irrisionem contineri valde dubito num recte censuerit Beckerus Gall. II², 122. Immo Plautus et haec et omnia quae in sequentibus describunt gloriosam ac vaniloquam medici, qui ipse in scenam prodit, naturam — velut quod aegrotanti morbi notas ridicule percontatus praecipit helleborum, commune ac pervulgatum Graecis insaniae remedium, cf. Arist. Vesp. 1489 cum schol. Alciphr. III, 2 — , exemplo suo debere putandus est. Quicumque enim aliquem comicorum usum habet, cognitum tenet, quam acerbis facetiis illi medicos ut vaniloquos et circulatores irriserint. Iam Aristophanes Nub. 332 inter fraudatores et ἀλαζόνας enumerat ἰατροτέχνας, neque in novae comoediae fragmentis rarae sunt eorum cavillationes (cf. O. Ribbeck, über den Character des Alazon, 1881. p. 153 sqq.),

Digitized by Google

de quibus vulgi opinio videtur fuisse quam profert Athenaeus IX. 277 „μέγας δ' ἐστὶ σοφιστὴς καὶ οὐδὲν ἧττων τῶν ἰατρῶν εἰς ἀλαζονείαν". Praeterea scenam in qua illa leguntur e Graeco expressam esse vel verba prima demonstrant „*Lumbi sedendo, oculi exspectando dolent*", quibus reddi Aristophanis Thesm. 846 „ἰλλὸς γεγένημαι προσδοκῶν" imitationem sive Posidippi sive cuiuscumque Plautus Menaechmis transtulit comoediam Kiesslingius coniecit.

Herculis apud Plautum quoque apparent vestigia eius figurae quam effinxit Attica comoedia. Ut enim antiquiore tempore in scenam prodiit inexplebili cibi ac potionis aviditate ridiculus, quapropter in posteriore comoedia a parasitis exemplar sumptus est et patronus (cf. Diodor. com. 3, 544, 23 sqq.), ita ad voracitatem eius alludens parasita Stich. 218 scurriles lepores suos „*Herculeo prandio*" se vendere velle iocatur, et „*almam suam nutricem Herculem*" invocat alter Curc. 358.

Aeque ad Graecum poetam recurrit Pseudoli (679—687) de Fortuna monologus, qui exorditur ab his verbis: „*Namque ipsa Opportunitas non potuit mi opportunius Advenire, quam haec allatast mi opportune epistula. Nam haec allata cornu copiaest, ubi inest quicquid volo: Hic doli, hic fallaciae omnes, hic sunt sycophantiae*" etc. Est enim eadem quae nunc sequitur philosophia atque ea quam mediae et novae comoediae poetae de Τύχῃ saepe proferunt, quod fusius explanavit Lorenzius in praefatione suae editionis (p. 20—23 et 31). Opportunitatem autem unde incipit Pseudoli meditatio intellegendam puto Καιρόν*), quem deum Menandrum quoque dixisse cognitum habemus, cf. frgm. inc. p. 331, 500 „εὖ γε λέγων τὸν Καιρὸν

*) Jovis filium natu minimum Καιρὸν finxerat Jon Chius, cf. Pausan. Eliac. 5, 14, 7; clarissima erat etiam Καιροῦ statua a Lysippo confecta, quae describitur a Callistrato Stat. VI et ab Himerio Ecl. XIV, cf. Anthol. Plan. 275 et 152. Anth. X, 52. XII, 31. 197.

Digitized by Google

ἔφης θεόν, εὖγε Μένανδρε". Qui deus cum alia tantum forma sit speciesque Fortunae, facile est cognitu, cur ad hanc ipsam statim traducatur poetae cogitatio, qui primum quidem significat deam vulgari eius symbolo „*cornu Copiae*", quo reddit Plautus Graecum κέρας Ἀμαλθείας, qua imagine Atticos comicos crebrius usos esse ad exprimendam omnium quae quis vellet copiam ac facultatem vides ex frgm. Antiphan. 3 p. 57, I. „τί βούλει; πάντ', Ἀμαλθείας κέρας" et Philemon. 4 p. 20, I. „Τὸ τῆς Ἀμαλθείας δοκεῖς εἶναι κέρας, οἷον γράφουσιν οἱ γραφεῖς κέρας βοός; . . . τοῦτ' ἐὰν ἔχῃς, λέγ' εἴ τι βούλει, πάντα σοι γενήσεται".

Restant, a superis dis*) ut ad inferos nunc descendamus, de Orco aliquot loci quos e Graeco fonte certo nobis videmur derivare posse. — Bacch. 368 paedagogus, antequam prorumpatur ex aedibus meretriciis, quo cum discipulo suo invitus se contulit (169), intus auditur magna voce exclamans: „*Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci opsecro.*" In propatulo est hoc „*ianuam Orci*" ad verbum**) reddere Homericum illud „Πύλας Ἄιδου" (e. g. Il. 23, 71), aptissimum in ore paedagogi***). Quod spectatores Attici certe statim persentiscebant festivisque animis excipiebant, cum indoctae plebis Romanae aures tantum exciperent, at certe non animi.

Ceterum Orci sedem Plautus ex consuetudine Romana *Acheruntem* nominat constructo hoc vocabulo in modum nominis localis, cf. Capt. 698 „*Ut Acherunti clueas gloria*", Most. 484 „*Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit*" etc.

*) De Auxilio, Cistellariae, Luxuria et Inopia, Trinummi prologis cf. p. 53.

**) Est enim ἐλλειπτικῶς dictum pro „Orci domus ianua," ut illud pro „Ἄιδου δώματος πύλαι." Nam ut a Graecis Ἄιδης, ita a Romanis Orcus semper deus qui in mortuorum regno sceptrum tenet, non regnum ipsum appellatur.

***) Cf. etiam 156 sq.: „*Pol metuo magis ne Phoenix fuam Teque ad patrem esse mortuom renuntiem.*"

Digitized by Google

Quem usum Graecis alienum (etiamsi enim poetae inferorum regnum appellabant sive Ἀχέροντος ἀκτήν, ut Soph. Ant. 810, sive ἀκτὴν λίμνης, Ἀχέροντος χοάς, ut Soph. Polyxen. frgm. 478 N., sive Ἀχεροντίαν λίμνην, ut Eur. Alcest. 444, frgm. inc. 860 N., tamen Acherontis semper fluminis vel lacus notio remansit) Romani fortasse ab Etruscis receperunt, quorum in religione Acheron insignem locum obtinuisse videtur, cf. „sacra Acherontia, quae Tages composuisse dicitur" ap. Serv. Aen. 8, 398, et „libros Acherunticos" ap. Arnob. II, 62.

Neque tamen inde consectarium est eos locos quibus Acheruntis apud Plautum mentio fit in exemplaribus eius defuisse. Minime enim adducor, ut a poeta barbaro profectos esse censeam tales locos ut Trin. 524 sq. „*In quincto quoque sulco moriuntur boves . . . Acheruntis ostium in nostrost agro,*" siquidem constat Graecos in locis caeli pestilentia infamatis inferorum aditum (Ἅιδου στόμα) posuisse, cf. Preller. myth. Graec. I³ p. 665 sq., aut Capt. 998 sqq. „*Vidi ego multa saepe picta quae Acherunti fierent Cruciamenta: verum enim vero nulla adaequest Acheruns Atque ubi ego fui in lapicidinis,*" quoniam a Romanorum mentibus abhorruit opinio Tartari tormentorum qualia Graeci et poetae et artifices describerent atque depingerent*); neque a Plauto inventam esse arbitror eiusmodi sententiam qualem exprimit Philto Trin. 491 sqq. „*nos homunculi Sitellum animai: quam quom extemplo emisimus, Aequo mendicus atque ille opulentissimus Censetur censu ad Acheruntem mortuos,*" quamquam eam oriri ex fragmento Menandri inc. fab. p. 273 (176) „κἂν μυρίων γῆς κυριεύῃς πηχέων, θανὼν γενήσει τάχα τριῶν ἢ τεττάρων," quod coniecit Ladewigius, „Canon des Volcacius Sedigitus" p. 35, nolim subscribere. Contra in eadem fabula qui ad μακάρων νήσους pertinent vv. 549 sqq. „*Sicut fortunatorum memorant insulis, Quo cuncti qui aetatem*

*) Inconsulte Prellerus myth. Rom. p. 461 hunc locum ad Romanas res revocavit. Rectius iudicavit Jordanus in edit. tert. II, p. 73. adn.

Digitized by Google

egerint caste suam Conveniunt,“ nullam admittunt auctoris dubitationem.

Consulto omisi adhuc omnes locos quibus mythi de deorum vita rebusque gestis quales Graeci poetae antiquitus contexuerunt apud Plautum commemorantur. Atque eiusmodi fabulas a Romanorum, quibus deessent poetae, religione prorsus alienas fuisse vix opus est affirmare. Etiamsi autem sumamus haud paucas earum eruditioribus Romanorum ipsique Plauto legendo cognitas fuisse, sicuti scimus Odysseam a Livio Andronico in Latinum sermonem versam vel pueris lectitatam esse in scholis, ex ipsa tamen Odyssea perpauca invenimus apud Plautum deducta (Epid. 604 sq. Bacch. 5. 275 sq. Stich. 1 sq.) prae caeterarum quas stringit fabularum multitudine indoctae plebi haud dubie incognita atque obscura. Quae vero ei causa esse potuit, cur in transferendis Atticis comoediis, quae per se repletae essent rebus sententiisque Romanis alienissimis, ex sua literarum Graecarum scientia — si quam habebat — spectatoribus apponeret Atticae elegantiae doctrinaeque aliquot frustula maiori insuper parti eorum non concoquenda? Fuerunt autem qui fabularum memoriam eam qua tragoediarum parodia contineri videretur (cuius rei exemplum exstitit p. 18) a Romanis Plauti aequalium tragoediis, quam a Graecis palliatarum exemplaribus mallent repetere. Hos quam temere agerent monstravit Kiesslingius l. s. s. (p. 4 et 23), cuius e re erit haec ipsa verba adscribere: „Putabimusne“, inquit, „Naevii Enniique fabulas tam saepe actas esse, ut et Plauti memoriae singularum scenarum argumenta et acute dicta praesto esse et spectatores statim talium iocorum consilium agnoscere potuerint? An tragicorum fabulas statim in legentium — at quorumnam quaeso? — manibus versatas esse statuemus, qui scimus quamdiu Plautinae comoediae in scaenicorum solis scriniis delituerint?“ Quae cum ita sint, fieri prorsus nequit quin omnes locos Plautinos

Digitized by Google

quibus tanguntur fabulae de deorum rebus amoribusque conditae e Graeco fonte fluxisse existimemus. Sunt autem, si servato priore ordine eos enumeramus, hi loci:

1) De Iove: Merc. 689 sq. „*Ei hac mecum, ut videas semul Tuam Alcumenam pelicem, Iuno mea.*“

2) De Iunone: Aul. 553 sqq. „*Qui intromisisti in aedes quingentos coquos Cum senis manibus genere geryonaceo: Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit, Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit, is numquam servet.*“

3) De Venere: Rud. 704 „*Te ex concha natam esse autumant: cave tu harum conchas**) *spernas.*“ ib. 761 „*Volcanum adducam; is Venerist advorsarius*“ (cf. Odyss. IX, 267 sqq.).

4) De Vulcano: Epid. 31 sq. „*Mulciber credo arma fecit, quae habuit Stratippocles: Travolaverunt ad hostis. Tum ille prognatust Theti: Sine perdant: alii adportabunt Nerei ei filiae.*“

5) De Baccho: Capt. 562 „*Alcmaeus atque Orestes atque Lycurgus postea Una opera mihi sunt sodales quam iste.*“ Merc. 649 „*Pentheum diripuisse aiunt Bacchae.*“ Frgm. Vidul. 7 „*Eiusdem Bacchae fecerunt nostram navem Pentheum.*“

6) De Hercule: Epid. 178 sq. „*Hercules ego fui, dum illa mecum fuit: Neque sexta aerumna acerbior Herculi quam mi illa obiectast.*“ Men. 200 sq. „*meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum Hercules haud aeque magno umquam abstulit periculo.* Pers. 1 sqq. „*Qui amans egens ingressus est princeps Amoris in vias, Superavit aerumnis suis aerumnas omnis Herculis: Nam cum leone, cum excetra, cum cervo, cum apro Aetolico, Cum avibus Stymphalicis, cum Antaeo deluctari malui, Quam cum Amore.*“ — Rud. 822 sq. „*Hoc Herculist iam, Veneris fanum quod fuit. Ita duo destituit signa hic cum clavis*

---

*) Unde discimus in Graeca voce κόγχη item ut in Latina „concha“ latuisse obscenam notionem „cunnus“, quae alibi in eisdem vocabulis non invenitur.

Digitized by Google

senex.“ Bacch. 155 „*Fiam ut ego opinor Hercules, tu autem Linus.*“ Cas. II, 6, 46 „*Utinam tua quidem ista sicut Herculis praedicant quondam prognatis, in sortiendo sors delicuerit.*“ (spectat nimirum ad Dorum migrationem Peloponnesique inter Heraclidas sortitionem).

7) De Sole: Epid. 604 „*hanc adserva Circam, Solis filiam.*“

8) De Titanomachia: Pers. 26 „*Quid ego faciam? disne advorser quasi Titani?*“

§ 2 b.

Postquam egimus de fabulis deorum quas tangunt Plauti comoediae, ad eos locos nunc transimus qui cum cultu aliquo Graecorum proprio rationem quandam et connexum habere nobis videantur. Ac primum ad Minervae dies festos Athenienses Παναθήναια spectant Merc. prol. 67 sq. „*Nec nisi quinto anno quoque solitum visere Urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum, Rus rusum confestim exigi solitum a patre,*“ et simillimum a sententia fragmentum inc. 43 „*nunquam ad civitatem venio, nisi quando infertur peplum.*“ Ad Cereris autem sacrificia, quo ritu a Graecis Athenis facta sint, opinor alludi Aul. 350 sqq., ubi Strobilus servus et Staphyla Euclionis ancilla hos serunt inter se sermones: „*Heus Staphyla, prodi atque ostium aperi. — Qui vocat? — Strobilus. — Quid vis? — Hosce ut accipias coquos Tibicinamque obsoniumque in nuptias. Megadorus iussit Euclioni haec mittere. — Cererin, Strobile, hi sunt facturi nuptias? — Qui? — Quia temeti nihil adlatum video.*“ Ubi controversia mihi est cum Prellero myth. Rom. I[3] p. 46 et Wagnero ad l., qui aliter locum expediunt veterum secuti interpretationem. Nam Macrobius Sat. III, 11, 1 sq. ita disputantem facit Euangelum: „dic, quaeso, quod erat monstrum secuturum“ (de his v. quae antecedunt) „et cum Cereri libari vino iuberet, quod omnibus sacris

Digitized by Google

vetatur? „„cui tu lacte favos et miti dilue Baccho““*). vinum autem Cereri non libari debuit illum vel Plautus docere, qui in Aululania ait „„Cererin““ etc.“ Quem refutaturus Servius ad Georgicon illum locum haec notat: „Superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Vergilium Cereri de vino sacrificari; pontificales namque hoc non vetant libri. Quod autem ait Plautus, cuius illi utuntur exemplo „„Cererin Strobile nuptias etc.““ non est huic loco contrarium. Nam aliud est sacrificium, aliud nuptias Cereris celebrare: in quibus re vera vinum adhiberi nefas fuerat, quae Orci nuptiae dicebantur, quas praesentia sua pontifices ingenti sollemnitate celebrabant.“ Cereris igitur nuptias apud Plautum Servius intellegit eas quae sollemniter Orci sint dictae. Quam interpretationem accepit Prellerus „Cereris nuptias“ apud Servium explicans eas quas Ceres exornet et „Cereri nuptias facere“ apud Plautum idem ac „Cereris iussu et sumptu eas parare“. Hoc quamquam non tam diserte pronuntiat, cogitasse tamen debet cum ait: „Selbst eine Hochzeit der Ceres oder des Orcus wurde mit grosser Feierlichkeit und unter Betheiligung der Pontifices begangen.“ — et adn. 2 „Man scheint sich die Ceres dabei als Gastgeberin gedacht zu haben.“ Sed errant credo et Servius et Prellerus, quem fugerit Servium errore duci. Hic enim vel eius fons, quia non ignorabat veteres Romanos diem quendam festum habuisse, quem Orci nuptias vocabant — nimirum erant Plutonis et Proserpinae nuptiae a Graecis Theogamiis et Anacalypteriis celebratae — cuique nefas erat vinum adhiberi, facile potuit animum inducere, ut ad eas Plautum putaret alludere. Orci autem nuptias si credebat altero nomine Cereris nuncupari, sane fieri non potuit quin Cererem sibi fingeret eam quae nuptias ipsa pararet atque in hunc modum Plautinos versus interpretaretur.

*) Georg. 1, 344.

Digitized by Google

Sed haec explicatio, etiamsi concedamus eam per grammaticam rationem stare posse — quamquam dativum qui exprimit auctorem ego quidem ignoro — tamen sermonis contextu prohibetur. Quid enim, si „*Cereri*“ l. c. intellegimus „Cereris mandatu ac sumptu“, tum Staphylae illa interrogatio sibi vult post versum 351 „*Megadorus iussit Euclioni haec mittere*,“ quo plane et dilucide is qui suo impendio nuptias apparaturus sit Megadorus dicatur? Quare non possumus quin, quae est simplicissima et credo cuique proxima interpretatio, ipsane Ceres nuptias factura sit Staphylam cogitemus quaerentem. Rei ridiculum et si vis ineptia tum in eo posita est quod Ceres, quam matrimonii patronam venerati sunt Graeci et Romani, hic fingitur nova nupta. Restat tamen unus scrupulus, unde fiat, ut Cereris nuptiae putentur sine vino celebrari? Verumne est, quod Macrobius dicit, Cereri libari vino omnibus sacris vetari? Minime; immo in hoc oportet nos fidem habere Servio neganti id pontificalibus libris vetari. Nam Cato de re rust. 134 quae de porca praecidanea ante messim Cereri immolanda agricolae dat praecepta his verbis concludit: „Postea Cereri exta et vinum dato“, ubi intellegenda certe vetusta Romanorum dea. Contra Graecos Cereri omnino non libasse vino testis est Dionys. Halic. A. R. I, 33 „ἱδρύσαντο δὲ καὶ Δήμητρος ἱερόν, καὶ τὰς θυσίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυσαν, ὡς Ἕλλησι νόμος.“ Unde efficitur Romanos ab eis tantum Cereris sacris quae de Graecia assumpta erant — quorum quaedam erant antiquissima — Graeco ritu vinum abesse fas habuisse. Quodcum iocus ille Aululariae ad hanc solam quadret opinionem Cererem omnino in sacris vinum abhorrere, consectarium est eum ex Attica comoedia devenisse in palliatam.

Iam ad Dionysi mysteria Baccharumque orgia spectant Amph. 702 sq. „*Etiam tu quoque adsentaris huic? — Quid nunc vis fieri? — Non tu scis Bacchae bacchanti si vis ad-*

Digitized by Google

vorsarier, Ex insana insaniorem facies, feriet saepius.“ Aul. 408 sq. „*Neque ego umquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal* (= βακχεῖον Arist. Lys. 1) *coquinatum: Ita me miserum et meos dicipulos fustibus male contuderunt.*“ Bacch. 370 „*Bacchides non Bacchides, set Bacchae sunt acerrumae.*“ Cas. V. 4, 9 sqq. „*Non amas me? — quin responde, tuo quid factumst pallio? — Bacchae hercle, uxor, Bacchae, Bacchae hercle uxor — nugatur sciens: Nam ecastor nunc Bacchae nullae ludunt. — oblitus fui. Sed tamen Bacchae — quid Bacchae? quin id fieri non potest.*“ (Videtur senex uxori roganti quid pallio suo factum sit respondere velle Bacchas lascivientes sibi id exuisse, tamquam Dionysia essent, quorum in pompa mulieres maenadum habitu urbem pervagarentur omnibus ludis petulantiaeque deditae) Mil. 856 sqq. „*Ubi bacchabatur aula, cassabant cadi. Abi, abi intro. iam vos in cella vinaria Bacchanal* (= βακχεῖον Arist. Ran. 360) *facitis.*“ ib. 1015 sq. „*Infidos celas: ego sum tibi firme fidus. — Cedo signum* (sc. σύμβολον vel σύνθημα, quo μύσται conscientiae suae fidem faciebant, cf. Lobeck, Aglaoph. p. 27) *si harum Baccharum es.*“ *) Pseud. 109 „*Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra, Quo pacto et quantas soleam turbellas dare*“ (cf. Lorenz. ad h. l. et praef. Mil. p. 65. adn. 25).

A Phrygiae autem deae cultu repetita sunt quae Truc.

---

*) Hoc loco quamvis ex Graeca fabula petito verisimile est Plautum eiusque spectatores cogitasse de arcano illo Bacchi cultu sub idem tempus Romae quasi pestilentia grassante (cf. Liv. 39, 9 sqq.) vetitoque a. 186 a. Chr. notissimo senatusconsulto de Bacanalibus. Tamen negandum puto Ritschelium Parerg. Plaut. p. 192 sq. Casinae l. c. verba „*Nam nunc ecastor Bacchae nullae ludunt*“ recte ad Bacchanalia recens oppressa retulisse actaeque fabulae tempus propterea in duos ultimos poetae barbari aetatis annos protrusisse. Nam patefacta Bacchanalium turpitudine gravissimisque poenis affecta initiatorum multitudine valde dubito num aediles, quorum nota est in percensendis scenicorum fabulis severitas, permissuri fuerint, ut tristissima eius rei recordatio comicorum lusibus redintegraretur.

Digitized by Google

II, 7, 42 sq. (601) Cyamus iocatur in militem quendam iratum: „*Hoc vide: dentibus frendit, icit femur. Num obsecro nam ariolust, qui ipsus se verberat*“? Non dubium est hoc attinere ad Cybeles illos sacerdotes qui specie stipis deae colligendae, re vera sui quaestus causa oppida vicosque Asiae Graeciaeque pervagabantur fanatico furore flagellorum ictibus nec non ensium sese lacerantes, quales describunt Apuleius Met. VIII, 27 sqq. et Lucianus de Dea Syr. 50 (p. 486). In Italiam illos mendiculos rei publicae temporibus pervenisse nullum habeo testimonium; a sollemni autem Magnae Matris die festo Megalesibus inde ab a. 204 a. Chr. quotannis celebratis tales furores atque insaniae remota erant, cf. Marquardt-Mommsen ant. VI, p. 353 sqq. Preller m. R. I³, 59*). Vocabantur quidem hi homines a Graecis μητραγύρται seu simpliciter ἀγύρται (cf. Plat. de re publ. II, 346) et in comoedia crebrius exagitabantur, cf. Antiphan. frg. 3. p. 86, 7. Menand. frg. 4. p. 127. II; scripserat Antiphanes comoediam Μητραγύρτης, Philemon Ἀγύρτης. Harum igitur vocum alteram Plautus reddidit incerto et generali vocabulo ‚*ariolus*‘, cuius propriam hoc loco vim vereor ut auditores cognoverint: clariore credo significatione usus esset, si de suo illud lusisset. — Ceterum animadvertendum est voci ‚ariolus‘ per se apud Plautum nondum malam notionem vaniloqui et nugatoris admixtam esse, sed semper vocabulo notari eum qui recte aliquid divinatione coniciat, cf. Cas. II, 6, 4. Poen. III, 5, 46. Rud. 324. 1139 sqq., ut verbum quoque ‚ariolari‘ usurpatur Asin. 315. 924 et ‚*ariolare*‘ idem est ac ‚verum conicis, recte auguraris‘ Asin. 579. Cist. IV, 2, 80. Rud. 347**). Unde colligi potest ariolos,

*) Unde vero hic vir doctus ex Ovidii Fast. IV, 255—348 narratione sibi sumpserit comites Phrygios deae cum simulacrum eius in urbem transportaretur flagellis sibi terga laniasse fateor me nescire: an v. 342 „et feriunt molles taurea terga manu“ ita intellexit?

**) Hac observatione confirmatur quod dicit Marquardtius ant. Rom. VI². p. 111 init.

Digitized by Google

licet plerumque praestigiatores nihilique homines fuerint, Plauti tamen aetate Romae auctoritate quadam floruisse. Duos autem locos Plautinos, ubi quis in eos iocatur aut invehitur, ex Atticis exemplaribus oriundos esse suspicari licet: Amph. 1132 sq. „*ariolos aruspices Mitte omnis*“ (ut ait Iuppiter Amphitruoni, qui Tiresiam coniectorem advocare voluit) et Rud. 376 sq. „*Scivi lenonem facere istuc quod fecit: saepe divi. Capillum promittam optumumst, occupiamque ariolari*“ (cf. Artemid. Oneirocr. I, 18 „Ἀγαθὸν δὲ“ (τρίχας μεγάλας καὶ καλὰς ἔχειν) „καὶ σοφῷ ἀνδρὶ καὶ ἱερεῖ καὶ μάντει καὶ βασιλεῖ ... Τούτων γὰρ οἷς μὲν ἔθος ἐστὶ κομᾶν, οἷς δὲ τὸ ἐπιτήδευμα κομᾶν ἐπιτρέπει“).

Quam difficile autem interdum sit Graecam Plautini loci originem prae turba verborum tamquam antiquitatem Romanam sapientium cognoscere optimo documento est locus Aululariae 259 sqq. Interrogat ibi Libanus servus, postquam ad argentum ero suo indigenti fraude comparandum se ipse incitavit: „*Unde sumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam*“? Deinde quasi subito accepto augurio exclamat: „*Impetritum, inauguratumst: quovis admittunt aves. Picus et cornix ab laeva, corvus parra ab dextera Consuadent: certum herclest vostram consequi sententiam. Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? haud temerariumst. Certe hercle ego quantum ex augurio auspicioque intellego, Aut mihi in mundo sunt virgae, aut atriensi Saureae*“. Habes hic sollemnia Romani augurum sermonis vocabula: „*impetritum*, *inauguratum*, *admittunt aves*“ cf. Marquardt IV[1], p. 352. 355. 360 — quamvis accuratius diceretur ‚oblatum‘, quam ‚*impetritum*‘ —; habes aves oscines (cf. Fest. 197) corvum, cornicem, picum, parram; habes denique iocum ut videtur Plautinum de pico virgas ulmeas *) servo portendente. Quid mirum quod hac Lati-

*) Id genus arborum potissimum Romanis instrumenta servos castigandi suppeditasse ex frequentissima virgarum ulmearum apud Plautum

Digitized by Google

nitatis, ut ita dicam, specie decepti antiquitatum scriptores (Marquardt VI² p. 389, 9) locum illum ut Romanae augurandi disciplinae specimen semper efferunt? Confirmarunt insuper errorem duo loci Ciceroniani de divin. I, 7, 12 „Quare omittat urgere Carneades, quod faciebat etiam Panaetius, requirens Iuppiterne cornicem a laeva, corvum ab dextra canere iussisset“ et ib. 39, 85 „quid augur (habet), cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?“ e quibus, si recte aestimas, vel contrarium efficitur, Graecam esse illam disciplinam. Quod enim Carneades, academiae princeps, qui divinationem re vera esse negabat (cf. de div. I, 4, 7), et Panaetius, Stoicorum praestantissimus, qui tamen ab hac disciplina ita recessit, ut de divinandi vi dubitaret (I, 4, 6), unanimi illam quam Cicero refert quaestionem dicuntur ursisse, id quo modo cogitari potest nisi contra vulgarem Stoicorum doctrinam eos fecisse? Nempe ob hanc causam Posidonius Stoicus, quem Ciceronis in libro I. de div. fontem fuisse mihi probavit Schichius „De fontibus librorum Ciceronis, qui sunt de divinatione“, Jenae 1875, Carneadem et Panaetium refutare studet, quod ipsius sectaeque suae de divinatione sententiam impugnaverant. Videntur autem ipsa corvi et cornicis auguria in Graecorum οἰωνοσκοπίᾳ, quam tractabant Stoicorum libri, aliquanti momenti fuisse; ut enim a Carneade et Panaetio nominantur ut insigne totius generis exemplum, ita etiam ab Arriano Epict. I, 17, 18 sq. „οὐδὲ γὰρ Χρυσίππου χρείαν ἔχομεν δι' αὐτόν, ἀλλ' ἵνα παρακολουθήσωμεν τῇ φύσει· οὐδὲ γὰρ τοῦ θύτου δι' αὐτόν, ἀλλ' ὅτι δι' ἐκείνου κατανοήσειν οἰόμεθα τὰ μέλλοντα· οὐδὲ τῶν σπλάγχνων δι' αὐτά, ἀλλ' ὅτι δι' ἐκείνων σημαίνεται· οὐδὲ τὸν κόρακα θαυμάζομεν ἢ τὴν κορώνην, ἀλλὰ τὸν θεὸν σημαίνοντα διὰ τούτων“, ubi Arrianus cum antea

in hunc usum commemoratione collegeris: undecim exempla enumeravit Lorenz. Most. praef. adn. 43. Mil. praef. adn. 23. Pseud. 523; apud Graecos hunc usum frustra quaesivi.

Digitized by Google

quaesiverit, quem ad finem opus esset Chrysippi verba recte interpretari, videlicet respexit ipsa verba Chrysippi, „qui totam", ut ait Cicero l. c., „de divinatione duobus libris explicavit sententiam". Ergo Graeca sine dubio docuit auguralis disciplina corvum nonnisi a dextra, cornicem a sinistra conspectam vel auditam in bonum omen esse accipiendam. Contra Romanis corvum a sinistra, cornicem a dextra parte fausta visa esse colligendum videtur ex Horat. Od. 3, 27, 7 sqq. „ego cui timebo, Providus auspex ... Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu (i. e. ex Romanorum, qui meridiem versus spectarent, augurum ratione a sinistra, cf. Varro l. l. VII, 7 „templi partes quatuor dicuntur, sinistra ab oriente" etc.) ... Teque nec laevus vetet ire picus Nec vaga cornix" *) (nam apparet epitheton ‚laevus' vel ‚laeva' etiam ad ‚cornix' supplendam); neque aliter Vergilius Ecl. IX, 14 sq. „Quod nisi me quacumque novas incidere lites Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix" cornicem laevam funestam putat**). Itaque certum exploratumque est Asinariae loco c. subesse Graecam quandam augurum disciplinam. Atque parram quidem Plautus fortasse ex Romano usu corvo adiecit: picum ex Demophili Onago, quam expressit, adsumptum esse coniecit Wilamowitzius sequentis ioci: „*Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit*"? causam intulisse Graecum ‚δρυκολάπτης' suspicatus. Patet igitur etiam Aul. 624 sqq. „*Non temerest quod corvus cantat mihi nunc ab laeva manu ... Continuo meum cor coëpit artem facere ludicram Atque in pectus emicare*", ex Graeco Plauti exemplari oriri, quia corvus sinister Euclioni

*) Nisi potius hoc tribuamus Augusteae aetatis inscitiae, quae quidem in universum coepit sinistram partem Graecorum more significare felicem.

**) Non satis mirari possum quod huius loci interpretes quos novi omnes laevum augurium hic accipiunt secundum; namque mea quidem sententia aliquis ut lites recens exortas dirimat non bono, sed tristi omine commovetur.

Digitized by Google

praesagit malum. Aeque Graecum est auspicium pedestre (σύμβολον ἐνόδιον), quod parasitus sibi obviam fuisse narrat Stich. 459 sqq. „*Auspicio hercle optumo exivi foras. Quom strena mi obscaevavit . . . Mustela murem abstulit praeter pedes. Nam ut illa vitam reperit hodie sibi, Item me spero facturum, augurium ac facit*“. Mustela enim in superstitione Graecorum multae variaeque erat significationis, cf. Arist. Eccl. 792. Theophr. Char. 16. Plin. H. N. XXIV, 4. XXIX, 4. Aelian. H. A. IX, 55. XII, 5. XV, 11. V. H. XIV, 4. Artemid. Oneirocr. III, 28, qui docet diversa portendere „γαλῆν προσιοῦσαν ἢ ἀπιοῦσαν, πράττουσάν τι ἡδὺ ἢ ἄηδες, πάσχουσάν τι ἢ δρῶσαν“. — Ad aliud ominum genus, ad μαντικὴν ἐκ παλμῶν (cf. Hermann, ant. sacr. 38, 13), i. e. divinationem ex membrorum palpitatione (salissationem vocat Marcell. Empir. 21 fin.), pertinent Pseud. 107 „*ita supercilium salit*“, quocum conferri solet Theocriteum (III, 37) „ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός“, et Asin. 315 „*Ergo mirabar quod dudum scapulae gestibant mihi, Hariolari quae occeperunt esse sibi in mundo malum*“. Graecis haec superstitio ex oriente nota erat, Romanis aliena.

Tum Graecus quidam ritus infantes lustrandi occurrit Truc. II, 4, 69 sq. (423) „*hodie sacrificare pro puero volo, Quinto die quod fieri oportet*“. Constat enim Graeco more quinto post partum die fieri ἀμφιδρόμια, cf. Suidas s. v., deinde septimo vel decimo die infanti nomen imponi, cf. Harpocr. p. 65, 8. Apud Romanos vero pueris nonus dies, puellis octavus ad lustralia sacra nominaque accipienda constitutus erat, cf. Paul. Diac. p. 120, 19.

Ad extremum nobis ut in priore paragrapho de Orco, ita in hac de mortuorum cultu, i. e. de sacris feralibus, agendum est. In certamen enim nos vocant duo loci, Aul. 324 sq. „*Cocus ille nundinalist: in nonum diem solet ire coctum*“, et Pseud. 793 sq. „*Peiorem* (sc. cocum) *haut potui quam hunc*

Digitized by Google

quem duco ducere, Multilocum, gloriosum, insulsum, inutilem. Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit, Ut esset hic qui mortuis cenam coquat. Nam hic solis illis coquere quod placeat potest". Quorum ex altero apertum fit coquum nundinalem dici eum qui conducatur tantum ad cenam feralem nono die manibus coquendam; etenim solis mortuis eum coquere quod placeat, quippe quibus nihil possit displicere. Ac primum quaerendum, utrum illa cena novendialis ad Romanum an ad Graecum usum redeat. Notum quidem est utrumque populum nono post sepulturam die mortuis sacra fecisse, quae Romani „novendialia" (cf. Becker. Gall. III^3, 378. Marquardt. ant. Rom. VI^2, 298. VII^2, 366 sqq.) Graeci τὰ ἔνατα (cf. Becker. Charicl. III^3, 115) vocarent. Nullum tamen praeter nostrum locum exstat disertum testimonium*) ad hunc finem iustam cenam paratam esse. At scimus aliis diebus veteres id curasse, Romanos quidem feralibus et parentalibus (cf. Varr. de l. l. VI, 13 „Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentandi" ceteraque a Beckero l. s. s. citata exempla, quae omnia possunt ad haec sacra referri praeter Iul. Obs. 112, de quo v. adn.), Graecos τοῖς τρίτοις et alias, cum τὰ ἐναγίσματα defunctis offerrent (cf. Arist. Lys. 611 „μῶν ἐγκαλεῖς ὅτι οὐχὶ προὐθέμεσθά σε; ἀλλ' ἐς τρίτην γοῦν ἡμέραν σοι πρῳ πάνυ ἥξει παρ' ἡμῶν τὰ τρίτ' ἐπεσκευασμένα", ubi schol. „ἐπειδὴ τῇ τρίτῃ τὸ τῶν νεκρῶν ἄριστον ἐφέρετο", et Lucian. Charon. 22 „τί οὖν στεφανοῦσι τοὺς λίθους καὶ χρίουσι μύρῳ; οἱ δὲ καὶ πυρὰν νήσαντες πρὸ χωμάτων καὶ βόθρον τινὰ ὀρύξαντες καίουσί τε ταυτὶ τὰ πολυτελῆ δεῖπνα καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον καὶ μελίκρατον, ὡς

*) Quod Beckerus affert Iul. Obs. 52, 113 „in sacro novendiali coena deae posita a cane adesa" non huc pertinet, sed ad sacrum publicum, cf. Marquardt IV^1, p. 257. adn. 1550; quam vero hic laudat „cena novendialis" ap. Tac. Ann. VI, 5, est ea, quam in domo funesta comedunt propinqui et familiares.

Digitized by Google

γοῦν εἰκάσαι, ἐγχέουσι". Hoc tam seri scriptoris testimonium non multum valeret, nisi firmatum esset nostra aetate in peninsula Phanagoria (adversus antiquum Panticapaeum) sepulcro tertii a. Chr. saeculi detecto, quo loco et fovea, βόθρος ille Luciani, ad vinum infundendum et animalium cenarumque combustarum reliquiae repertae sunt, cf. Stephani, Compte rendue pour l'année 1864 p. VIII et 1865 p. 6 sqq. His documentis addi potest Plin. H. N. XX, 11, 113 „ambo (sc. Chrysippus et Dionysius dicunt) neutrum (sc. nec marem nec feminam apium) ad cibos admittendum, immo omnino nefas, namque id defunctorum epulis feralibus dicatum esse", et Plutarch. t. V p. 881 „ἔοικεν ὁ τῶν φιλαργύρων βίος νεκροῦ δείπνῳ· πάντα γὰρ ἔχων τὸν εὐφρανθησόμενον οὐκ ἔχει". Quae cum ita sint, verisimillimum est et Graecos et Romanos nonis quoque post funera diebus mortuis cenam in sepulcris apposuisse. Tamen Plautini loci, unde huc devenimus, ni fallimur pro Graeci moris documentis habendi sunt. Quoniam enim coqui in Pseudoli loco s. s. totaque scena descriptio lepidissima plane respondet eis quibus Atticam comoediam id genus hominum castigasse fragmentis compertum habemus (cf. Lorenz. praef. Pseud. p. 12 sqq.), non est cur illos versus, qui satis festive neque insulse coqui ἀλαζονείαν illudunt (neque inde Aulularíae locus dirimi potest), ex Plauti fonte fluxisse negemus. Quodsi in duabus fabulis idem iocus invenitur, inde tria possint colligi: aut Aulularíae et Pseudoli exemplaria eiusdem esse poetae aut alterius auctorem alterum respexisse aut utrumque in animo habuisse tertii cuiusdam comici de coquo nundinali (μάγειρος ἐναταῖος?) facete dictum, quod quasi in proverbium abiisset. Nam re vera Graecos cenam novendialem per viliores coquos parandam curasse quis credat? Quamquam Plauti verba „*in nonum diem Solet ire coctum*" id videntur indicare. Sed dubito num Plautus ipse hoc loco exemplum suum recte intellexerit. Sal-

Digitized by Google

tem transtulit tam ambigue — quis enim ex ipsius verbis cognosceret, quem nonum diem significaret? — ut non mirum sit quod veteres grammatici quidam — et credo haud pauci fabularum eius spectatores — ad nundinas verba illa rettulerunt, cf. Fest. p. 173 „Nundinalem cocum Plau[tus dixit in Aulularia: „„Cocus ille nun]dinale est, [in nonum diem solet ire coctum““; hic ab a]liis] novendial[is appellatur et cocum viliorem sig]nificat, quem [tenuiores ducebant, ut in nonum diem coque]ret“, quam interpretationem ex hoc ipso loco factam esse in propatulo est. Videntur autem ii qui Festo auctore novendialem cocum appellarent, quid rei esset perspexisse. Nam recte ita dici debuit qui novendialibus cenam coqueret.

Cap. II.

Expositis igitur quae aut ad verbum transtulisse aut similibus reddidisse Plautus certis de causis nobis videretur oportet nunc, ut operi sufficiamus, in eas res sacras nos inquirere quas neque ex Atticis comoediis depromptas habeat neque ad eorum exemplum concinnatas. Huc primum faciunt verborum lusus eorundem varia significantium, qui quia Latine tantum exprimi possunt ad Plautum sunt revocandi. Quo ex genere sunt Capt. 577 sqq. „*tu natum te esse memoras liberum? — Non equidem me Liberum, set Philocratem esse aio;*“ Curc. 413 sqq. „*Libertus illius, quem omnes Summanum vocant. — Summane, salve. qui Summanu's? fac sciam. — Quia vestimenta mea, ubi obdormivi ebrius, Summano.*“ (cf. Preller, myth. Rom. I³, p. 244); Pseud. 326 sqq. „*Pseudole, accerse hostias, Victumas, lanios, ut ego huice sacrificem summo Jovi. . . — Nolo victumas; mininis me extis placari volo. — Propera. quid stas? — accerse agnos: audin quid ait Juppiter?*“, ubi luditur in duplici notione vocis „mina“,

Digitized by Google

de qua cf. Lorenz. ad l., sicut paucis versibus post Pseudolus vocem „lanius“ usurpat maligna cum ambiguitate („victimarius“ et „carnifex“) a Graeco quocunque vocabulo aliena; simile quiddam est quod iurat Ergasilus Capt. 879 sqq. „Μὰ τὸν Ἀπόλλω. — Νὴ τὰν Κόραν. — Νὴ τὰν Ἱραινέστην. — Νὴ τὰν Σιγνίαν. — Νὴ τὰν Φρουσινῶνα. — Νὴ τὰν Ἀλάτριον“, quamquam ad hunc iocum Plautum suspicor commotum esse Dorica, quam in exemplo legebat, forma Κόρα cum oppidi Latini *) nomine congruenti: quae forma in Attica comoedia male nos habere non potest, quia in vulgari Graecorum sermone, praesertim in iurandi formulis, dorici idiomatis haud rara exstare vestigia docuit Meinekius ad Menand. frg. p. 16. (ed. Menand. et Philem.) et Epicrat. 3. p. 369, ubi eadem forma occurrit in iuramento: „ἐπομνύουσα τὰν Κόραν, τὰν Ἄρτεμιν, τὰν Φερσέφατταν.“

Perinde ad Plautum magnam partem revocanda mihi videtur mentio deorum vel dearum, quae re vera sunt virtutes vel animi affectiones vel rerum status aut eventus, sed cogitantur divina specie opibusque divinis praeditae. Quarum nonnullae sunt ex eis quae in cultum receptae publica utebantur sanctitate, ut Salus, Libertas, Spes, Pietas, Pudicitia: plures fictae poetica licentia, atque has praesertim tribuerim Plautino lepori, qui divina persona iocose induceret Servitutem (Asin. 306 „*Istoc testamento Servitus legat tibi*“), Saturitatem (Stich. 877 „*Ita me amabit sancta Saturitas*“), Copiam (Pseud. 736 „*Non Charinust mi hic quidem, sed Copia*“, quasi Charinus sit Genius carendi, cf. Lorenz. ad l.), Culinam (Truc. II, 7, 53 „*Si tu Bellonae bellator clues, at ego Culinae clueo*“), fortasse etiam Molam**) (Pseud. 1099 sq. „*quid ego cesso Pseudolum*

*) Cf. Liv. II, 16. VIII, 19. Plin. H. N. III, 5. Sil. Ital. VIII, 379. Lucan. VII, 392.

**) Nisi „Mola“ Plautus expressit Εὔνοστον τὴν ἐπιμύλιον θεάν (cf. Lorenz ad l.) aut cum Buechelero ad Mylas referre mavis.

Digitized by Google

Facere ut det nomen ad Molas coloniam?“). Namque fit sane apud Menandrum quoque, ut aliquis rei, quam magni putat ad hominum vitam momenti, divinas opes philosophans adscribat, cf. p. 233, 10 „ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς τἀργύριον ἡμῖν καὶ τὸ χρυσίον.“ p. 72, 14 „Θεός ἐστι τοῖς χρηστοῖς ἀεὶ ὁ νοῦς γάρ, ὡς ἔοικεν.“ (cf. p. 90, 6 et mon. 434) mon. 597 „Ἅπασιν ἡμῖν ἡ συνείδησις θεός.“ (cf. 654.) p. 76, 8 „Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν ἀσπάζομαι. τουτὶ γὰρ οὐ πᾶσαν ποιῶ τὴν γῆν, ὅταν δὲ τοὐμὸν ἐσίδω χωρίον· τὸ γὰρ τρέφον με τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν.“ p. 289 (252) „Οὐκ ἔστι τόλμης ἐπιφανεστέρα θεός.“ Sed quantum hoc discrepat a Plauti eiusmodi deos inducendi ratione, quippe qui non explicans aut philosophans, verum audacter et tamquam nil sit insoliti in qualibet re constituat personam. Itidem ad Plautum refero Libertatis et Pietatis, quarum utramque Romani publice coluerunt*), memoriam, alterius Rud. 489 „*Edepol Libertas lepida's, quae numquam pedem Voluisti in navem mecum hercle una imponere,*“ alterius Asin. 506 „*Ubi piem Pietatem, si istoc more moratam tibi Postulem placere, mater . . . Hocinest Pietatem colere, matri imperium minuere.*“ Recentissimi editores Goetzius et Loewius in verbis „*piem Pietatem*“ schema solum quod vocant etymologicum agnoverunt, sed ego deam Plautum hoc loco non minus significasse puto quam Pseud. 291 sq. „*pietas prohibet — Audio. Pietatem ergo istam amplexator noctu pro Phoenicio.*“ Plerumque autem hi allegorici, ut ita dicam, dei ita apud poetam prodeunt, ut coniungantur aut cum rebus quas exprimunt aut cum vocabulis cognatae originis vel notionis. Frequentissime omnium ita exhibetur Salus dea antiquitus Romae culta cuique Graeci nullam habuerunt aequalem, cf.

*) Quamquam de Pietate Romae culta Plautus vix cogitavit, siquidem prima ei aedes anno 191 a. Chr. vota a M.' Acilio Glabrione anno demum post mortem poetae nostri a filio illius consecrata est (Liv. 40, 34, 5).

Digitized by Google

Cist. III, 13 „*O Salute mea Salus salubrior.*“ Bacch. 879 sq. „*Vah Salus, Me servasti.*“ Cist. IV, 1, 18 „*At vos Salus servassit.*“ Capt. 529 „*Neque Salus servare si volt me potest.*“ Most. 337 „*Ne Salus vobis saluti iam esse si cupiat potest.*“ (Imitatus est Terentius Adelph. IV, 7, 43 sq. „ipsa si cupiat Salus Servare prorsus non potest hanc familiam.“) Nec non recurrit idem schema in aliis dearum nominibus ficticiis: Cas. II, 3. 9 „*magis initiis munditiis Munditiam antideo.*“ Asin. 268 „*ego illos lubentiores faciam quam Lubentiast.*“ Poen. IV, 2, 24 „*Qui ipsus hercle ignaviorem potis est facere Ignaviam.*“ Pseud. 669 „*Namque ipsa Opportunitas non potuit mi opportunius venire.*“ Quam quidem Opportunitatem cum ex exemplo oriri supra viderimus (p. 32), haud remota est cogitatio etiam illius figurae qua προσωποποιία (sive σωματοποιία, ut ait Donatus ad Terent l. l.) et παρήχησις coniungitur exemplar Plautum apud Atticos invenisse, cum in Pseudoli illo loco fortasse Καιροῦ καιριώτερος vel tale quid legeretur. Nec dubium quin hoc fieri potuerit: nam Graecum esse illud schema demonstratur proverbio apud Diogenian. IV, 22 „Δίκης δικαιότερος“, et similibus aliis, velut ap. Suid. p. 90 „Δεινὰ τὰ δεινὰ καὶ δεινότερα τῶν Δεινίου.“ Non tamen crediderim Plautum omnibus locis, ubi illa figura utitur, eam a Graeco quem imitabatur poeta esse mutuatum. Namque in Atticae comoediae fragmentis eius nec vola nec vestigium atque omnino perrara ibi est παρονομασία veteribus Romanorum scenicis, quod omnes sciunt, dilectissima. Quare verisimilius est Plautum, qui summopere studebat annominationi, ob hanc ipsam illud schema tam cupide arripuisse et ad unum alterumve exemplum conformasse multa.

Ut haec fictarum personarum inductio sine dubio sermonis magis Plauti proprietas, quam rei ab Atticis discrepantia habenda est, sic eum opinor aliis quibusdam locis, ubi Salutis vel alterius dei nomen per iocum imponitur alicui praeter

Digitized by Google

spem praesens auxilium ferenti, exemplaria quamvis liberius imitando expressisse. Ita enim deludunt Asin. 712 sqq. duo servi erilem filium: „*Datisne argentum? — Siquidem mihi aram et statuam statuis**) *Atque ut deo mi hic inmolas bovem: nam ego tibi Salus sum . . . Quem te deum autem nominem? — Fortunam atque Obsequentem*“; similiter Pseudolus 707 sqq. dei speciem magnifice adsumit: „*ut paratragoedat carnufex. — Confer gradum Contra pariter, porge audacter ad salutem bracchium. — Dice utrum Spemne an Salutem te salutem, Pseudole? — Immo utrumque*“. Ubi in Atticis quae exemplo erant fabulis commodo potuit pro Salutis dea, quam Graeca religio ignorat, nominari unus τῶν θεῶν σωτήρων**), quo cognomine cum alios, ut etiam Fortunam, tum ipsum Iovem Graeci venerabantur. Atque hunc quidem eadem fere sententia Plautus commemorat Pseud. 326 sqq. (cf. p. 61) „*Pseudole, arcesse hostias . . . huic ut ego sacruficem summo Iovi: Nam hic mihi nunc est multo potior Iuppiter, quam Iuppiter*“ et Capt. 860 sqq. „*set iube Vasa tibi pura adparari ad rem divinam cito Atque agnum huc adferri propere pinguem. - Quor? — Ut sacrufices. — Quoi deum? — Mihi quidem hercle: nam ego nunc tibi sum summus Iuppiter: Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gaudium*“. Suspicor his talibusque lusibus Graecos comicos tragoediae parodiam quaesivisse, nam et accommodata sunt quodammodo ad tragicum genus dicendi et in loco s. s. Pseudolus diserte vocatur ‚paratragoedans‘, cum se gerat quasi deum ex machina. (Cf. etiam Eurip. Rhes. 355 sq. „σύ μοι Ζεὺς ὁ φαναῖος ἥκεις“) — Sed hunc quoque προσωποποιίας usum Plautus ad suum arbitrium amplificavit redegitque in sermonis con-

*) Cf. Bacch. 640 „*Hunc hominem decet auro expendi: huic statuam statui decet ex auro*“ et Alexid. frg. 3, 407, I: „Τοῖς ἰχθυοπώλαις ἐστὶν ἐψηφισμένον, ὥς φασι, χαλκῆν Καλλιμέδοντος εἰκόνα στῆσαι . . . ὡς αὐτὸν ὄντ' αὐτοῖσι τῆς τέχνης μόνον σωτῆρα.

**) De eis disseruit Meier, comment. epigr. p. 65 et 110.

Digitized by Google

suetudinem frequentiorem in allocutionibus. Ita enim qui opportune commodeque videtur alicui obvenisse vocatur mea Opportunitas vel Commoditas: Curc. 305 sq. „*O mea Opportunitas, Curculio exoptate, salve*“. Men. 137 sq. „*O mea Commoditas, o mea Opportunitas*“. Poen. I, 3, 12 „*Mi Milphidisce, mea Commoditas, mea Salus*“. Epid. 614 „*quid agis, mea Commoditas?*“ — Similiter mariti subblandiuntur uxoribus: „*mea Amoenitas, quid tu agis?*“ Cas. II, 3, 13, „*o mi Lepos*“ ib. 19, „*quid agis mea Festivitas?*“ ib. III, 3, 14; quin senem alloquitur meretrix Bacch. 1176 „*mea Pietas*“, quasi sit tam venerabilis dignusque pietate quam ipsa Pietas.

Ex exemplaribus translati esse possunt etiam Cist. IV, 2, 18 „*Spes mihi sancta subvenit*“ et Rud. 230 „*Bona Spes, obsecro, subventa mihi*“, cum Ἐλπίς non modo poetarum in ore vulgaris sit dea, sed etiam sacrorum statuaeque honoris particeps fuisse videatur, cf. Theogn. 1154 sq. Anthol. Pal. IX, 146; nec minus Amph. 929 sq. „*Iuben mi ire comites? — Sanan es? — Si non iubes, Iubeo egomet: comitem mihi Pudicitiam aufero*“, quoniam constat Αἰδοῦς, ut etiam Ἀναιδείας, extitisse aras Athenis (cf. Preller. I^3, p. 438 adn.).

Certissime autem ab Atticis repetiti sunt prologi Trinummi et Cistellariae, quorum illum dicunt Luxuria et Inopia, hunc Auxilium. In prologis enim usitatum fuit novae comoediae poetis, „humana figura producere personas, quae in veritate artis et voluntatis sunt non personae“, ut ait Rutilius de Figuris II, p. 91. Veluti cognitum habemus Menandrum in fabula aliqua prologi partes dedisse τῷ Ἐλέγχῳ (IV, p. 307), Philemonem τῷ Ἀέρι (ib. p. 31), anonymum quendam comicum τῷ Φόβῳ (ib. p. 688, 339). Haec prosopopoeia accepta est etiam a togatarum poetis; ut Afranius (298 sq. R.) Sapientiam induxit proloquentem*).

*) Eundem morem in fabulam praetextam transiisse colligendum ex Amph. prol. 41 sqq. „*Nam quid ego memorem, ut alios in tragoediis Vidi,*

Digitized by Google

Neque dubito quin e Graeco Plautus verterit Bacch. 113 sqq. „*Quid, huc? quis istic habet? — Amor Voluptas Venus Venustas Gaudium Iocus Ludus Sermo Suavisaviatio*“. Videlicet enim in Attico eius exemplari meretricis domi habitare dicta erat Ἀφροδίτη quique comites ei a Graecis poetis adiuncti sunt di Ἔρωτες Χάριτες Ὧραι Πειθώ Παιδία alii, de quibus cf. Preller. I³ p. 419. Conformavit sane haec nomina — neque enim ad verbum referre potuit — atque ordinavit poeta noster ex consuetudine sua*) ita, ut quam maxime consuleret annominationi. Voce autem ‚*Suavisaviatio*‘ satis lepide Plautum reddidisse Graecum aliquod vocabulum a Menandro in Disexapatonte fictum sequentes versus mihi indicare videntur, ubi Pistoclerus, qui illam deam nominaverat, a paedagogo interrogatus: „*An deus ullust Suavisaviatio?*“ cavillans respondet: „*hem quam, o Lude, es barbarus, Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem. I stultior es barbaro poticio, Qui tantus natu deorum nescis nomina*“. Haec é Graeco fonte fluere probat Thaletis nomen — sicut Palamedis Eupol. frg. 2, 547. Arist. Ran. 1451 — in Attica comoedia proverbii loco usurpatum, cf. Arist. Nub. 180: redit apud Plautum Capt. 271 et Rud. 1003. — Ceterum haud improbabilis est suspicio O. Iahnii, üb. d. bös. Blick p. 76, illis Bacchidum versibus ad inscriptiones fascini causa domibus praefixas alludi (qualis illa ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν).

Tertio loco Plauti propriae dicendae sunt locutiones quae-

Neptunum, Virtutem, Victoriam, Martem, Bellonam, commemorare quae bona Vobis fecissent?“ Hos enim versus a Plauto haud dubie alienos recte ad praetextas rettulit Ladewigius anall. phill. 1869 p. 473 sqq., quem tamen fugit in ipsis prologis illos deos in scenam prodiisse (Ribbeckius „D. röm. Tragöd. i. Zeitalt. d. Republ.“ cum dicit p. 75 adn. „Ladewig l. c. nimmt an, dass Virtus selbst im Prolog aufgetreten sei“, videtur Ladewigium non recte inspexisse).

*) Cf. e. g. iuramentum Bacch. 892 sqq.

Digitized by Google

dam et imagines ad avium consultationem, qualis ab auguribus patrata est, pertinentes, velut Amph. 191 sq. „*victum atque expugnatum oppidumst, Imperio atque auspicio mei evi*“, 196 „*Ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo*“, 657 „*auspicio meo atque ductu vicimus*“. Pseud. 761 sq. „*Omnis ordine sub signis ducam legiones meas, Avi sinistra, auspicio liquido*“. Epid. 343 „*Ut importem in coloniam hunc meo auspicio commeatum*“. — 183 „*Liquido exeo auspicio, avi sinistra*“. Pers. 606 sq. „*in proelium Vide ut ingrediare auspicato. Liquidumst auspicium*“. Rud. 717 „*Non hodie isti rei auspicavi ut cum furcifero fabuler*“. Pers. 689 „*Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem*“. Quae formulae metaphoraeque omnes sumptae sunt e Romanorum consuetudine, qui nihil fere quondam, ut ait Cicero, maioris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebant, cum Graeci neque bello proeliove gerendo auspicarentur — quamquam fortuito si quis ὄρνις μαντικὸς conspiciebatur, de hoc omine μάντις, qui erat apud exercitum, consultus coniecturam faciebat (cf. Xenoph. Anab. VI, 1, 23) — et in vita privata attenderent tantum ad oblativa, ut Romani augures dicebant, auspicia. Propterea quae in hunc sensum accipere possumus auspicia a Plauto commemorata, nil impedit quominus ad Graecum exemplar referamus, ut Amph. 690 sq. „*An te auspicium commoratumst, an tempestas continet, Qui non abiisti ad legiones?*“. Asin. 374 „*malo cum auspicio*“. Aul. 444 „*auspicio malo*“. Men. 1151 „*meliore opus est auspicio*“ (cf. proverbium Zenob. I, 76 „Ἀμεινόνων οἰωνῶν τυχεῖν“). Merc. 274 „*Neque omen illud neque auspicium placet*“. Pseud. 1138 „*Bona scaevast mihi*“. Graecos quidem sic saepe ‚ὄρνις‘ pro quovis omine usurpasse docet Arist. Av. 719 sqq.

Iam ex Plauti fabrica prodiisse puto iocum Cistell. II, 1, 55, ubi Alcesimarchus amore irrito ad furorem compulsus se amicam suam, nisi copia eius sibi fiat, cum matre gladio occisurum esse iurat sic deos obtestans: „*Di me omnes,*

Digitized by Google

magni minutique et patellarii faxint, ne ..." Haec enim deorum partitio Romanorum erat, qui civium in republica ordinibus ad caelestium regna translatis maiorum et minorum gentium seu patricios et plebeios deos discernerent, cf. Cic. Tusc. I, 13, 29. Ovid. Ib. 81 sq. Augustin. C. D. VII, 2. Quorum alterum genus Plautus ludicre cognominat patellarios, sc. eos quibus, ut Laribus Penatibus Geniis, minora sacrificia in patellis offerebant. Alia deorum distributio, quo utitur Alcesimarchus paucis ante versibus in eodem iureiurando: „*Ita me di deaeque superi atque inferi et medioxumi*" et ipsa Romana quaedam est, ut docet vetusta precationis formula fetialium apud Liv. I, 32, 9 „audi Iuppiter, et tu Iuno, Quirine diique omnes caelestes vosque terrestres vosque inferni audite", ubi terrestres sine dubitatione eidem sunt ac medioxumi, i. e. camporum et silvarum dei, fluminum et fontium numina, Lares Penates Genii, igitur re ipsa haud alii fere quam qui altero loco dicuntur ‚minuti et patellarii'. A Graecis vero, quamquam tripartitio mundi in caelum mare terram (i. e. in profundam terram) antiquissima est, deorum tamen duo semper inter se opponebantur genera, οἱ ἄνω — οἱ κάτω vel οἱ ὕπατοι — οἱ χθόνιοι vel οἱ οὐράνιοι — οἱ χθόνιοι, cum χθόνιοι eis essent eidem atque καταχθόνιοι seu ὑποχθόνιοι, sc. qui infra terrae superficiem sedes habitant (cf. Preller Demeter und Persephone p. 187)*).

Denique ad ipsum Plautum referenda est Geniorum cultus commemoratio. Non quo opinio eiusmodi qualis Romanis erat de Geniis a Graecorum animis omnino abhorruerit. Immo et ipsi existimabant unicuique homini inde ab ortu adesse deum quendam sive numen divinum fatum eius sortitum et quasi fortunae necessitatem in eum exercentem. Quod diser-

*) Christianae demum aetatis scriptores addunt terrestres usurpantque hoc sensu χθόνιος, cf. Porphyr. de antr. nymph. 6 „τοῖς μὲν Ὀλυμπίοις θεοῖς . . . χθονίοις δὲ . . . ὑποχθονίοις".

Digitized by Google

tissime exprimit Menander 4 p. 283, 18: „ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου“ (vocatur a Platone Phaedr. p. 107 d „ὁ ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντος εἰλήχει“). Ita etiam a Fortuna omnium communi dignoscebant cuiusque propriam, cf. Philem. 4 p. 6 „Νῦν δ' οἶδ' ἀκριβῶς τὴν τύχην ὡς οὐ μία, οὐδ' ἔστι πρώην, ἀλλὰ μετὰ τῶν σωμάτων ἡμῶν, ὅταν γιγνώμεθ', εὐθὺς ἡ τύχη προσγίγνεθ' ἡμῖν συγγενὴς τῷ σώματι“, ut omnino inter τύχης et δαίμονος notionem summa intercedebat cognatio, unde factum est, ut Graeci scriptores Romanum Genium alterutro vocabulo redderent, cf. Plut. Caes. 69 et Cass. Dion. 57, 80. 58, 2. 6. 12. Verum enim vero inter Graecos δαίμονας et Genios Romanos hoc interest, ut illi exorti a philosophorum cogitatione cultum nunquam assecuti sint, cum genios quam pie sancteque Romani in omni vitae genere habuerint nemo ignoret. Igitur iocus Plautinus putandus est*), quod Capt. 259 sqq. Hegioni interroganti: „*Quid tu ais? tenaxne pater est eius*“? respondet Philocrates: „*Immo edepol pertinax: Quin etiam ut magis noscas, genio suo sibi quando sacrificat, Ad rem divinam quibus opus est Samiis vasibus utitur, Ne ipse genius subrupiat*“. Nimirum etiam Latinae solius linguae propriae sunt locutiones „*genio multa bona facere*“ (Pers. 263) „*cum genio belligerare*“ (Truc. I, 2, 81), „*genium defraudare*“ (Aul. 724. Terent. Phorm. I, 1, 12), aliae, de quibus cf. Preller. myth. R. I³ p. 79.

Cap. III.

Haec intra rerum sacrarum fines omnia sunt, quae ut Plauti inventioni tribuam certis cogor argumentis. Vides quam

*) Id saltem confitendum erit, etiamsi in Attico Plauti exemplari alium deum pro genio nominatum fuisse arbitremur, nullius nomine tam apte ac ridicule hominis avaritiam significari.

Digitized by Google

pauca sint atque verbo magis quam re a Graecis discrepantia. Quid igitur? Nonne optimo iure ex Atticis comoediis translata esse ea putabimus quae, quia tam ad Romanam quam ad Graecam religionem spectant, per se dubiae sunt originis? Quin cum in prioribus viderimus, quotiens Plautus peregrinas res Latine redditurus ad popularia recurreret si non paria illis, at certe plus minusve similia, nonne etiam cetera ex exemplaribus detorta esse — etsi stricte demonstrari nequit — nobis, et spero aliis, persuadebimus, quae Romana quidem sunt, sed cum simili aliquo Graeco more vel opinione haud inepte possunt comparari? Rem illustrabo exemplis. Pseud. 25 sq. „*Has quidem* (literas) *pol credo, nisi Sibylla legerit, Interpretari alium potesse neminem*“, quamquam Sibyllae Romanis Plauti aetate ad minimum duae notae erant, Cumana et Cimmeria in Italia, quam Naevius in libris belli Punici nominaverat (teste Varrone ap. Lactant. instit. I, 6 sqq.), perinde licebit ad Atticum Plauti exemplar referre atque eiusdem fabulae 819 sqq. „*Ei homines cenas ubi cocunt quom condiunt, Non condimentis condiunt, sed Strigibus, Vivis convivis intestina qui exedint*“, cum Strigum nomen ac superstitionem Graecis cum Romanis communia fuisse doceat Fest. p. 314 „Stri[gem, ut ait Verri]us, Graeci στρίγγα ap[pellant], quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis eas veluti avertere Graeci: Στρίγγ' ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπὸ λαῶν, Ὄρνιν ἀνωνύμιον, στρίγγ' ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.“ (ut emendavit M. Hauptius). — Et Cas. V, 4, 11 „*Hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore*“ (sc. quam si uxor mihi occurrat) non inde repetemus quod Romani mali ominis crediderunt praegnanti cani occurrere (cf. Hor. Od. III, 27, 1 sqq.), sed quod Graecis symbolum infaustum visum est διεκδρομὴ κυνός (cf. Plutarch. π. φιλαδ. XIX, p. 490). — Vel quod Rud. 461 et Asin. 491 duo servi, qui de se ipsi aliquid praedicarunt, ex antiquo more usque

Digitized by Google

ad hunc diem usitato propulsoriam quandam vocem addunt, „*praefiscine*“, eius loco in Atticis fabulis eosdem dixisse ἀβάσκαντα sive ἀβασκάντως vel προσκυνῶ τὴν Ἀδράστειαν sive Νέμεσιν, quibus verbis Graeci amovere studebant superorum invidiam (cf. O. Iahn, l. s. s. p. 62 et 84), iure meritoque statuemus. — Neque Plauti semper arbitrio adiectas credemus precationis formulas „*Di bene vortant*“ (Pseud. 646. Aul. 257. 272. Trin. 502), „*Quae res bene vortat*“ (Trin. 500. Pers. 329. Curc. 729), „*Quod bonum atque fortunatum sit*“ (Cas. II, 6, 50), „*Quod bonum faustum felix fortunatumque sit*“ (Trin. 41, cf. Cic. de div. I, 45, 102), si meminerimus similiter Graecos ubi aliquid maius seu publice seu privatim gerebant boni eventus causa ab Ἀγαθῇ Τύχῃ coepisse (cf. Preller. myth. Gr. I³ p. 444), quae formula etiam in hunc modum variata legitur: „θεὸς Ἀγαθὰν τύχαν“, „θεοὶ Ἀγαθὰν τύχαν“, „θεὸς ἀγαθὸς Ἀγαθᾷ τύχᾳ καὶ ἐπὶ σωτηρίᾳ“, „Ἀγαθῇ Τύχῃ Ζεὺς σωτήρ“, „θεὸς (ἵλεως εἴη) Ἀγαθῇ τύχῃ Ἀγαθοῦ δαίμονος“, cf. Gerhard „üb. Agathodämon und Bona Dea“, Abhandl. d. Berl. Akad. d. W. 1847, atque verisimile est aliis quoque eiusmodi locutionibus Graecos usos esse in vita cotidiana, ut „ὀνησίφορα γένοιτο“ ap. comic. anon. 4, 691 (350). Talia etiam in sponsionibus (ut Trin. l. c. „*Quin fabulare, di bene vortant: spondeo?*“) a Graecis usurpata esse vero non absimile est, ut stipulatio (ἐγγύησις) quoque i. e. obligatio verbis contracta, quamvis admodum rara eius apud Athenienses appareat significatio (cf. Wachsmuth, Hellen. Alterthumskunde II² p. 188 et 190), vel in sponsalibus videtur convenisse, cf. Meier. Hist. Iur. Att. de bon. damn. p. 66 sq. — Quid? quod in fabulis Plautinis mente capti ac delirantes saepe vocantur *larvati* aut *cerriti**), i. e. a larvis aut a Cero (cf. Preller. I³, p. 80) agitati, id nonne

*) *Larva* aut *larvatus* Amph. 777. Aul. 634. Cas. 3, 4, 2. Capt. 598. Merc. 981. Men. 889. Frgm. Amph. 5. Inc. fab. 46. *Cerritus* Amph. 775 sq. Poen. III, 1, 25. Rud. 1006. Men. 889. Frg. Amph. 5.

Digitized by Google

apertum est propterea factum esse quod apud Atticos eidem dicti erant δαιμονικοὶ sive δαιμονῶντες, *lymphatici* autem et *helleborosi**) νυμφόληπτοι et ἐλλεβορῶντες? — Denique Amph. 738 sqq. quae Sosia dicit ero de Alcmena noctu maritum secum fuisso narrante: „*somnium narrat tibi. Sed, mulier, postquam experrecta's, te prodigiali Iovi Aut mola salsa hodie aut ture comprecatam oportuit*“, ecquid dubitabis ex Plauti exemplo desumpta esso, si quidem noveris tam Romanis (cf. Tibull. I, 5, 13 sq. „Ipse procuravi ne possent saeva nocere Somnia ter sancta deveneranda mola“, et III, 4, 6 sqq. „Somnia fallaci ludunt temeraria nocte . . . Et natum in curas hominum genus omina noctis Farre pio placant et saliente sale“) quam Graecis (cf. Becker, Charikl. I², 242 sq.) fuisse morem somniorum fatalia sacrificiis expiandi? Pro mola salsa Atticus poeta fortasse πέλανον (ut Aeschyl. Pers. 209) seu simile aliquid posuerat, cum Iuppiter Prodigialis, qui praeter hunc nullo loco commemoratur, haud sciam quis alius intellegendus sit nisi Ζεὺς ἀποτρόπαιος**) vel ἀλεξίκακος.

In hunc modum credo etiam haud pauca ad Atticas fabulas revocari posse atque debere, quae primo obtutu nimis quam Plautina videntur et ab interpretibus pronuntiantur. In Poenulo quidem, ut huius quoque rei insignia quaedam proferam exempla, quid magis Plautinam festivitatem spirare videtur, quam quod III, 3, 31 sqq. Lyco lenoni poeta dicentes facit advocatos: „*Hunc chlamydatum quem vides, Ei Mars iratust ... Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adducimus*“? Nimirum ille „*chlamydatus*“ (sc. Collybiscus villicus, qui simulat se peregrinum esse et apud lenonem quaerere „locum liberum et voluptarium, ubi amet, potet, pergraecetur“, cf. III,

---

*) *Helleborosus* Most. 952. Rud. 1006. cf. Pseud. 1185. Men. 950. *Lymphaticus* Poen. I, 2, 135 sq.

**) Θεοὶ ἀποτρόπαιοι in eadem re invocantur Aeschyl. l. c. Xenoph. Sympos. 4, 33. Theophr. Char. 16.

Digitized by Google

2, 23) per iocum significatur ovis a Lupo (Lyco) despolianda, et Mars dicitur ei irasci, quia lupum Romani Marti sacrum putarunt et ab eo gregibus immitti. Quae quidem opinio Graecis sane aberat, sed tamen suspicor hic Plautum exemplar secutum esse, pro Marte ibi nuncupato Apolline, quem luporum defensorem gregumque patronum Graeci cognominarent Λύκιον sive Λύκειον (quamvis re vera alia esset vocis origo) vel Λυκοκτόνον et Νόμιον quaeve alia fuerunt epitheta per diversas civitates ad dei pastoris officium tendentia (cf. Macrob. Sat. I, 17, 43). Huic coniecturae non officit quod inter se vel opposita sunt Martis et Apollinis munera, alterius propellendi lupos, alterius impellendi. Quid enim? Nonne optime quoque staret loci sententia, si diceretur fere: „Illi chlamydato Apollo iratus est", sc. quia non tutatur eum a lupo? Quin etiam aptius Apollo cum epitheto Λύκιος illo loco induci mihi videtur, quia hoc lepide alludit ad lenonis nomen (Λύκος), a cuius vi, quantum coniectare licet, dictum illud exortum sit. — Atque iteravit id paulo modificatum sive Plautus sive fabularum eius retractator Truc. III, 1, 9 sqq. (654) „*ego pera minas, Ovis* (sc. pecuniam pro iis solutam, qua Strabax, qui haec loquitur, patrem emunxit) *in crumina hac huc in urbem detuli. Fuit hodie Mars meo periratus patri, Nam ovis illius hau longe absunt a lupis.*" — Iam aliud exemplum. Quicumque Plautinae rationis nescius leget in prima Curculionis scena (69 sqq.) haec verba inter Phaedromum servumque eius commutata: „*quo me vortam, nescio. — Si deos salutas, dextrovorsum censeo: Nunc ara Veneris haec est ante horunc foras*", non poterit quin a barbaro poeta ea fabulae intexta esse existimet, quoniam vere Romanus fuit ritus, precatione peracta ad dextram se convertere (cf. Marquardt-Mommsen, IV p. 174). Sed mihi ne hic quidem Plautum Atticorum vestigia pressisse a vero videtur abesse, recordanti Graecos antequam sacrificarent lustrationis causa aram dextroversum ambivisse canistrum,

Digitized by Google

in quo mola culter infulae erant, et malluvium ferentes, cf. Arist. Pac. 956 sq. „ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπιδέξια“ et schol. „περίιθι· τοῦτο πρῶτον ἐποίουν καθαίροντες τὸν βωμόν.“ Porro Truc. II, 6, 34 (515) cum miles gloriosus amicam alloquitur his verbis: „*Mars peregrine adveniens salutat Nerienem uxorem suam*“, haud improbabile mihi videtur Plautum Nerienis Sabinae deae nomine (Nerio significabat virtutem et fortitudinem, cf. Gell. XIII, 23) reddidisse Ἐνυώ, veterem illam inde ab Homero Martis sociam, quae Athenis statuam habebat (cf. Pausan. 1, 8, 4) eratque τῷ Ἄρει σύνναος (cf. Ross, Dem. Att. p. VII.): hanc Atticus poeta cur non comice Martis uxorem appellaret? — Neque plus ab exemplis suis recessisse Plautus putandus est, cum a furibus non Mercurium, ut Graecis religio fuit, sed deam Romanam Lavernam facit invocari Aul. 442. frgm. Cornicul. 7. Frivol. 3; vel cum cenam opulentam dicit *Cerialem* Men. 101, sive hoc vocabulum a Cerere ducas (sic Prellerus myth. R. I³ p. 42) sive a Cero (ut Kiesslingius); vel cum ἐπιληψίαν, qua Capt. 547 Aristophontem correptum esse mentitur Tyndarus, vocat „*morbum qui sputatur*“, i. e. quo affecti insputantur (cf. 550 „*Et eum morbum mi esse, ut qui med opus sit insputarier?*“: hoc Romani moris erat, cf. Plin. N. H. 28, 4, 7 „despuimus comitialis morbos, hoc est contagia regerimus“, quod nisi in ipsos aegrotos sputando fieri non potuit), quem Atticus poeta haud dubito quin dixerit νόσον ἀποπτυομένην, cum Graeci ubi ἐπίληπτον videbant in sinum despuerent (cf. Theophr. char. 16 „Μαινόμενόν τε ἰδὼν καὶ ἐπίληπτον φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι.“). — Eadem ratione persuasum habeo barbarum poetam, ubi alludit ad decimam Herculis, Graeca partim accommodasse populari consuetudini, partim etiam ad verbum transtulisse. Illud quidem Truc. II, 7, 10 sq. (561) „*Nam damnum hoc obsoni de mina una deminui modo: Quinque nummos mihi detraxi, pax partem Herculaneam*“,

Digitized by Google

ubi in Attica comoedia coquus qui ea loquitur, ut videtur, gloriatus est se pecuniae ad obsonium destinatae decimam partem sibi abstulisse quasi deus aut satrapa aut tyrannus, quibus ius esset δεκατεύειν (cf. Böckh, Staatshaush. I, 440 sq.). Plautus autem, quia Romani decimam quaestus aut rei familiaris Herculi soli pollucebant, dixit illam „partem Herculaneam" addiditque suo arbitrio pretium decimae partis minae quinque nummos, sc. didrachmos, quo nummo non Athenienses illis temporibus, qui tetradrachmo, verum Graeci Italiae inferioris incolae uterentur. Neque aliter mea sententia Bacch. 663 sqq. „*Set lubet scire quantum aurum erus sibi Dempsit et quid suo reddidit patri: Si frugist, Herculem fecit ex patre: Decumam partem ei dedit, sibi novem apstulit*" pro qualibet decima posuit Herculaneam, et Most. 983 sq. „*Unus istic servos est sacerrumus, Tranio: is vel Herculi conterere quaestum possiet*" in Attico exemplari non Herculis, at alius tamen dei, e. g. Apollinis Delphici, cuius in templum ingentes hoc modo defluxere copiae, decima magnae divitiae designatae erant, vel etiam certo quodam eiusmodi dono, quod propter eximium splendorem atque opulentiam in proverbium venerat, ut illa „Συρακοσίων δεκάτη" Paroem. Gr. I p. 455.

At Stich. 233, ubi parasitus praedicta auctione, qua „*logos ridiculos, cavillationes, adsentatiunculas ac periuratiunculas parasiticas*" cena aut prandio se vendere velle iocatur, lucri decimam Herculi vovet, nec minus qui eodem spectant vv. 386 „*Hercules, decumam esse adauctam tibi quam vovi gratulor*", et 392 „*Hercules, qui deus sis, sane discessisti non bene*", integros puto receptos esse ab Attico poeta, qui aptissime quaestus parasitica arte facti decimam Herculi ut parasitorum patrono (cf. p. 32.) faceret voveri, sicut ἰχθυοπώλας Neptuno decimam pollucere Diphilo consentaneum visum est 4 p. 390, II. „Οὐ πώποτ' ἰχθῦς οἶδα τιμιωτέρους ἰδών. Πόσειδον, εἰ δεκάτην ἐλάμβανες αὐτῶν ἀπὸ τῆς τιμῆς ἑκάστης ἡμέρας, πολὺ τῶν θεῶν ἂν ἦσθα πλουσιώτατος."

Digitized by Google

Itidem Plautus pro Graeca re Romanam instituisse mihi videtur Trin. 83 sqq. „*Nam nunc ego si te surrupuisse suspicer Iovi coronam de capite ex Capitolio, Qui in columine astat summo.*“ et Men. 941 „*At ego te sacram coronam surrupuisse Iovis scio.*“ Hoc enim ficto ingentis culpae admissae exemplo haud ita vulgari quod in duabus fabulis utitur, nullus dubito quin reddiderit facinus aliquod a Graecis rebus petitum, quod in Attica comoedia quasi proverbium ferebatur ad immane scelus significandum. Ut sycophantae, qui crimen capitale, quo nullum possit gravius cogitari, alicui volunt impingere, minitari solent se ad magistratus illum delaturos esse, quia moliatur navalia incendere (ἐμπρῆσαι. νεώριον), cf. Arist. Ach. 914 sqq. Alciphr. I, 32, quem ad locum v. Seileri adnotationem.

Haud alia est ratio Capt. 616 sq. „*Nunc ego omnino occidi, Nunc ego inter sacrum saxumque sto nec quid faciam nescio.*“ Romanum sane proverbium fuit, quod sub Tyndari persona Plautus hic exhibet (cf. Brix.): sed quis dubitat Graecis fuisse similia eiusdem sententiae adagia?*)

Postremo etiam Mil. 690 sqq. Periplecomenus ubi castigat mulierum sumptuosam luxuriam, pro Matronalibus et Quinquatribus quidni possit in Attico exemplari alios dies festos exhibuisse, quibus matronae Graecae maritis facerent impendia?

His igitur quae disseruimus — ut in fine disputationis nostrae summam faciamus — potissimum evictum est Plautum non solum in argumentis, sed etiam in sermonibus tam arte pressisse Atticorum vestigia, ut de suo praeter verborum quosdam lusus ac colores perpauca neque ea ampla fabulis Graecis immisceret facete dicta et ex Romano usu additamenta. Quod autem nihilo secius tam multa vere Romana apud eum occurrunt, hoc inde efficitur, quod saepe pro Graecis rebus a

*) Cf. „Ἔοικα βοῦς ἐπὶ σφαγὴν μολεῖν“ et „Ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται“.

Digitized by Google

domesticis diversis similes patriae consuetudines exhibuit. Plerumque tamen Menandreae aetatis et mores et opiniones integras atque immunes ex Attica comoedia transtulit in palliatam, etiam ea quae spectatores minime possent persentiscere, nedum suaviter inde affici, quin quae ipsum parum intellexisse vix sit dubium (cf. p. 14. 29. 47 sq.). Errore igitur duci patet eos qui ex Graecarum rerum apud Plautum memoria Plautina aetate eas Romanis notas vel adeo usitatas fuisse colligant. Namque poetam Latinum fabulas suas a spectatoribus, qui delectari non possent rebus incognitis et obscuris, voluisse intellegi, nemo certe est quin habeat persuasum: sed ex dissertatione nostra apparuit eum hoc quod voluit tanta cum incuria et ut propalam dicam levitate perfecisse, ut haud pauca in translatione retineret plebi indoctae nullo pacto percipienda. Quodcum summa libidine poeta barbarus Graecas res nunc ad verbum expresserit, nunc mutaverit Romanis, ut saepenumero Graeca et Romana artissime se premant aut plane permixta sint (cf. p. 42—44. 60), neque utrius populi mores institutaque quoque loco respiciantur nisi ex aliis testimoniis possit dignosci, consequens est ubi Plautum solum habemus cognitionis alicuius fontem, eum ad antiquarum rerum fidem faciendam nulla esse auctoritate atque potius omittendum, nisi forte rem Plautinam propterea quod cum Graeca aliqua eo loco consentanea insignem habeat similitudinem, pro hac institutam esse promptum sit atque propositum (cf. p. 22. 60). Sed etiam ubi exstant aliorum scriptorum vel monumentorum testimonia, his viros doctos Plautinae rationis parum scientes non semper recte usos esse multaque in fabulis illis acriore iudicio ad Attica exempla Graecumque morem revocari posse quae hodie vulgo secus fiant, non uno exemplo credo me demonstrasse. Quare necesse est ceterae quoque antiquitatum Plautinarum partes cum cura et diligentia tractentur, quo simul clariora ac certiora fiant ea quae nos ex una parte eruimus.

Digitized by Google

Excursus I (ad p. 6).

Asyli ius, quo qui in aram alicuius dei vel fanum aliquod (quorum quaedam vetustate inprimis sancta erant, ut Theseum Athenis, Dianae templum Ephesi, alia, de quibus v. Tac. Ann. III, 60—64) confugissent, ipsi scelerati ac servi, ab omni poena sive magistratuum sive dominorum tuti essent, (cf. Meier u. Schoemann, att. Proc. p. 403 et 557, Becker. Char. III². p. 34 sq., Hermann. ant. sacr. 10. 15) a Graecis quam sancte habitum sit e. g. ex Most. 1079 sqq. cognoscimus, ubi servus nequissimus in ara Loxiae sedens erum miris modis ludificatur, ille tamen vi eum abripere non audet, quamquam minitatur v. 1100 se igne sarmentisque aram circumdaturum esse, aeque ac Lycus apud Eurip. Herc. 240 sqq. Quod igitur Labrax in Rudente servas suas de ara abducere vult, eo notatur leno „*scelestus*, *sacrilegus*, *impurus*", quibus epithetis alius quidam eiusdem generis homo ornatur Pseud. 360 sqq. Atque Graecorum peculiare fuisse hoc ius testis est Livius 35, 51, 1 „Templum est Apollinis Delium . . . ubi et in fano lucoque ea religione et eo iure sancto, quo sunt templa, quae asyla Graeci adpellant." Quo explicatur quod Romani Graecorum asyla minime curabant, cf. Paus. I, 20, 7, qui Sullam ob eam causam taeterrimo morbo absumptum esse narrat „ὅτι καταφυγόντα ἐς τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἀπέκτεινεν ἀποσπάσας Ἀριστίωνα", et Cic. II. Verr. I, 33, 85 „Nuper M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quominus e fano Dianae servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam evocatus est, quod auctor illius iniuriae fuisse arguebatur." Ex Taciti autem loco c. comperimus Tiberium in Graecis urbibus constituisse, asylorum ius ne valeret nisi in septem vetustissimis

Digitized by Google

templis, quibus senatus consulto deferretur: „Crescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; complebantur templa pessimis servitiorum.“ Romani ipsi rei publicae quidem temporibus — nam quod antea Romulus dicitur asylum aperuisse inter duos lucos (Liv. I, 8, 5), id nihil aliud significat nisi in urbem ab eo conditam turbam omne genus hominum confluxisse — unum habebant asylum publice sancitum, quod in templo divi Iulii triumviri Graeco videlicet exemplo instituerant. Sed hoc verbo magis quam re perfugium erat, cf. Cass. Dion. 47, 19, 2 „ἀπηγόρευσαν δὲ μηδένα ἐς τὸ ἡρῷον αὐτοῦ καταφυγόντα ἐπ' ἀδείᾳ μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι μήτε συλᾶσθαι, ὅπερ οὐδενὶ οὐδὲ τῶν θεῶν, πλὴν τῶν ἐπὶ τοῦ Ῥωμύλου γενομένων, ἐδεδώκεσαν· καίτοι καὶ ἐκεῖνο τὸ χωρίον ὀνόματι τὴν ἀσυλίαν, μετὰ τὴν τῶν ἀνδρῶν ἄθροισιν, ἄνευ τοῦ ἔργου αὐτοῦ ἔσχεν· οὕτω γὰρ περιεφράχθη ὥστε μηδένα ἔτι τὸ παράπαν ἐσελθεῖν ἐς αὐτὸ δυνηθῆναι.“ Hoc asylum videtur respexisse Ovidius Trist. V, 2, 43 sq. „Viderit! ipse sacram, quamvis invisus, ad aram Confugiam: nullas summovet ara manus.“ Quod autem Cicero nonnullis locis (pro Rosc. com. 11, 30; post red. in senat. 5, 11; II. Verr. II, 3, 8. et V, 48, 126) aras tamquam perfugium ac praesidium salutis commemorat, hoc solummodo rhetorica figura est ex Graeco usu notissimo repetita. Manifestum igitur est omnes qui in fabulis Plautinis ad asylorum ius spectant locos, ut maximam partem Rudentis, ex Graecis exemplis sumptos esse. Unde apparet, quam temere Visseringius Quaest. Plaut. II, p. 48 sqq. statuerit Rud. 641 sqq. „*Mulieres Duae innocentes hic sunt... Quibus advorsum ius legesque hic insignite iniuria Factast fitque in Veneris fano*“ et 723 sq. „*Mihi non liceat meas ancillas Veneris de ara abducere? — Non licet: itast lex aput nos*“ Romanas quasdam de asylo leges commemorari.

Digitized by Google

Excursus II (ad p. 8).

Etiamsi Curculionis v. 249 e Graeco expressus est atque coniectores, qui ibi nominantur, sunt Graeci ὀνειροκρίται, tamen iniuria Marquardtius ant. Rom. VI² p. 98 et adn. 3—5 negare mihi videtur veteribus Romanis usque ad Ciceronis aetatem artem somnia interpretandi ignotam fuisse. Etenim quem ad demonstrandam suam sententiam affert locum Cic. de div. II, 64, 131 „Qualis autem ista mens est deorum" etc., eum prorsus non intellexit. Ex praecedentibus enim elucet in eo versari Ciceronis argumentationem, ut demonstret somniorum interpretes, qui profiteantur se cernere atque explanare ea quae a dis hominibus significentur in somnis, re vera id non efficere; namque ad hoc non mediocri opus esse prudentia, verum ingenio praestanti et eruditione perfecta; talem autem se cognosse neminem (cf. § 130). Ergo scientiam eorum re vera nullam esse. Coniectores autem a Romanis non adhiberi neque hoc loco neque alio pronuntiat, immo contrarium ipsius verba saepius significant, velut § 129 „(deos) obicere his (hominibus) visa quaedam tortuosa et obscura, quae illi exterriti somnio ad coniectorem deferant". Quid? quod coniectores exstitere in Bruto Accii, sc. in fabula praetexta (cf. Cic. de div. I, 22), quem locum quo iure Marquardtius quia a poesi petitus sit probandi vi carere dicat non intellego. Quin sub ipsam Plauti aetatem somniorum interpretationem ad artem Romae exercitatam esse ostentui est: nam vocabulum „*coniector*" ille iam proprie usurpat de somniorum interprete, ut „*conicere*" de somnis Curc. 253 et „*coniectura*" ib. 246. Rud. 612. 771, cum primitus ea vox nihil aliud significasse possit nisi omnem interpretationem quae coniectura efficiatur, sicut Plautus ipse et Tiresiam ut prodigii (Amph. 1128) et Oedipum (Poen. I, 3, 34 sq.) ut aenigmatis inter-

Digitized by Google

pretem appellat coniectores. Huc accedit quod Mil. 692 inter mulieres, quibus matronae Romanae Quinquatribus datae operae mercedem solvunt, coniectrix enumeratur, unde viros coniectoribus usos esse si dis placet liceat colligere.

Tamen morborum medelam ex somniorum monitis petitam, qualem Graeci in Aesculapeis exercebant, veteres Romani minime videntur curasse. Quamquam enim Aesculapio iam anno 290 a. Chr. in insula Tiberina aedes dedicata est (cf. Liv. X, 47. Valer. Max. I, 8, 2), tamen ibi quemquam incubasse per totam rem publicam nullum exstat testimonium, cum ex Caesarianis temporibus complura servata sint, cf. C. I. L. VI n. 7 sqq. C. I. G. n. 5974 sqq.

Digitized by Google

Index rerum.

	p.
Acheruns	33 sq.
Aesculapius	8. 31 sq. 69
Amoenitas	53
Amor	29. 54
anulus = δακτύλιος φαρμακίτης	9. 16 sq.
Ἀφροδίσια	7
Apollo	12. 18. 29. 61
aram tangere in iurando	6
Arcturus	31
ariolare, ariolus etc.	41 sq.
asyli ius	6. 66 sq.
aula extaris	5
auspicato, auspicio etc.	55
Auxilium	53
Bacchus	18. 36. 39 sq.
Bacchanalia	39 sq.
bulla aurea	18
canina scaeva	58
cena sacrificalis	5. 7
cena Cerialis	62
Cereris vigiliae	22
Cereri nuptias facere	37 sqq.
cerritus	59 sq.
cocus nundinalis	45—48
Commoditas	53
coniectores	8. 68 sq.
Copia	33. 49
cornix ab laeva, corvus ab dextera	42 sqq.
crepundia	16—18
Culina	49
Cupido	29
decima Herculis	62 sq.
dextrovorsum deos salutare	62
di magni minutique et patellarii	56
di deaeque susperi atque inferi et medioxumi	56
di bene vortant	59
Diana	12 sq.
Dies	30
Dionysus	30. 39
Dionysia	9 sq. 39 sq.
exta prosecare	7
Festivitas	53
Fides	11. 21
fidicina inter rem divinam	15
Fortuna	32. 52
fortunatorum insulae	34 sq.
Gaudium	52. 54
Genius	56 sq.
helleborus	31
helleborosus	60
Hercules	20. 32. 36 sq. 62 sq.
Hymenaeus	14
Ignavia	51
incubatio	8. 9. 69
infantium lustratio	45
Inopia	53
insepultorum manes in terra vagantur	19
inter sacrum saxumque sto	64
Iocus	54
Iuno	23. 27. 36
Iuppiter	27. 36. 48. 60. 64
Κόρα	49
Laetitia	52
Lares	23—26

Digitized by Google

	p.
larva, larvati	59 sq.
Laverna	62
Lepos	53
Liber	48
Libertas	49 sq.
Lubentia	51
Lucina	12. 23
Ludus	54
Luna	30 sq.
lunula aurea	16 sq.
Lux	52
Luxuria	53
lymphaticus	60
Mars	60 sq. 62
Matronalia	64
Μεγάβυζοι s. *Μεγαλόβυζοι*	13 sq.
Mercurius	30 sq.
Minervae aedes	22
minima exta	48
Mola	49
morbus qui sputatur	62
Mulciber	36
Munditia	51
mustelae auspicium	45
natalicia munera a servis oblata	15 sq.
Neptunus	5—7. 27
Nerei filiae	36
Neriene	62
Nocturnus	11 sq.
nova nupta trans limen portata	14 sq.
Nox	11. 30
operto capite deos salutare	8 sq.
Opportunitas	32 sq. 51. 53
Orcus	33
Palaemon	27
Παναθήναια	37
parra ab dextera, picus ab laeva	42—44
Pietas	49 sq. 53
praefiscine	59
praeire verba	6
praematuro mortuorum animae in terra vagantur	19 sq.
Pudicitia	49. 53
Salus	49—52
Saturitas	49
Sermo	54
Servitus	49
Sibylla	58
Silvani lucus	21 sq.
Sol	11. 30. 37
somnia ex incubatione	8. 68 sq.
Spes	49. 52 sq.
Striges	58
Suavisaviatio	11
Summanus	48
Thetis	36
Titani	37
velatis manibus	10
Venus	5—7. 10. 28 sq. 36. 54
Venustas	54
Voluptas	54
Vulcanus	29 sq. 36

Digitized by Google

Vita.

Maximilianus Alexander Arthurius Schuster natus sum Wismarae in vico prope Strassburgum Brandenburgensium sito a. d. XI. Cal. Iul. a. h. s. LXI. patre Augusto, matre Iulia e gente Wemme, quos adhuc superstites esse quam maxime gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus puer novem annorum Cottbusiis, quo migraverant parentes, receptus sum inter discipulos gymnasii tum Purmanni, deinde Noetelii, praeceptoris venerandi, auspiciis florentis. Qui insigni qua erga me fuit benevolentia in omne tempus me sibi devinxit. Maturitatis testimonio instructus inde ab auctumno a. 1878 per sex semestria in universitate Gryphiswaldensi studiis me dedi philologicis. Deinde unum annum procul ab urbe praeceptoris domestici munere perfunctus huc redii studia confecturus. — Docuerunt me vv. ill.: Kiessling, de Wilamowitz-Moellendorff, Susemihl, Preuner, Schuppe, Reifferscheid, Vogt, Luetjohann. Seminarii philologici tria semestria sodalis fui extraordinarius, ordinarius duo, moderantibus Kiesslingio et Wilamowitzio. Praeterea interesse mihi licuit exercitationibus aristotelicis et platonicis a Susemihlio, metricis privatissime a Wilamowitzio institutis. Quibus omnibus, quos nominavi, viris doctissimis optime de me meritis, imprimis Kiesslingio, qui summa cum benevolentia me semper adiuvit, gratias ago semperque habebo quam maximas.

Digitized by Google

Sententiae controversae.

1. Plaut. Epid. spurii sunt versus 106—108:
„Praéter aetatem ét virtutem stúltus es Stratíppocles.
Idne pudet te, quía captivam génere prognatám bono
Dé praeda's mercátus? quis erit vítio qui id vortát tibi?“
2. Plaut. Trin. 832 scribendum est: „apsque te foret“ pro codicum „apsque foret te“; unde apparet metrum totius scenae esse trochaicum, non, ut quidam voluerunt, anapaesticum.
3. Falso W. Christius „über den wert des nummus bei Plautus“ (Fleckeiseni ann. 1868 I) p. 347 statuit Plautum nummum significasse Rud. 1406 didrachmum Aeginaeum et Most. 347 L. obolum Aeginaeum.
4. In excerpto ex Suetonio περὶ βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη (ap. Miller, Mélanges de littérature grecque, Paris 1868) p. 413 v. 4 pro συνήθως (ita codd.) lege συνθέτως.
5. Ascon. in Milon. p. 27, 16; 28, 21; 32, 25 pro codicum „postera die“ scribendum est „postero die“.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JUL 9 1902
APR 24 1903
NOV 22 1933
NOV 9 '60H
DEC 2 '60H
DEC 16 '60H

Digitized by Google

Lp 26.953
Quomodo Plautus attica exemplaria t
Widener Library 006914597
3 2044 085 223 196